T. 565. 4

(4)

IACOBI SACCHI

PHIL. MED., ET CHIR. DOCT.

IN PRINCIPIA
THEORIAE BRUNONIANAE
ANIMADVERSIONES

PAPIAE. MDCCXCIII.

Apud Balthassarem Comini.
Praesidib. Rei litt. Permitt.

Id autem eo facilius credebatur, quia simile vero videbatur.

Pers. *Sat* 1. v. 107.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

IOANNI . GIBERTO . RENATI . F . BORROMEO
. S R . I . MACAGNI . IMPER . COMIT
VICAR . IMPER . PERPET
EX . PRO CERIB . HISPAN . ORDIN . PRIMI
A . CVBIC . AVG
INGENIO . HVMANITATE . PRAESTANTISSIMO
IACOBVS . SACCHI
DOMO . BARSIO . IN . VALLESAXINA
MEDIOLANI . IN . COLLEGIO . HELVETICO
LITTERARVM . STVDIA . AVSPICATVS
TICINI . EX . ALVMNIS . COLLEGI . BORROMEI
ORBITATE . DESIDERIOQVE
VITALIANI . BORROMEI . CARDIN
MOERENTISSIMIS
PHILOSOPHIAE . MEDICINAE . CHIRVRGIAE
LAVREA . DONATVS
VTROBIQVE . DEVOTVS . NOMINI . AMPLITVDINIQ
GENERIS . BORROMEORVM
ANIMADVERSIONES
IN . PRINCIPIO . THEORIAE . BRVNONIANAE
D
ADMINISTRATORI . PROVIDENTISSIMO
PATRONO . MECAENATI . OPTIMO
OB . MERITA

Quaerenti mihi caussas incredibilis prope illius commotionis animorum, atque ingentis fere plausus, quibus nuperrime singularis illa hypothesis, cui novum universae Medicinae systema celeberrimus Angliae Scriptor, et Medicus Bruno aliquot abhinc annis fidenter superstruxit, ab iis optimae spei Adolescentibus excepta esset, qui in florentissimo Ticinensi Archigymnasio salutaris Artis studiis omnibus mecum incumbunt, (ac naviter quidem, assidue, diligenterque incumbunt), perarduum mihi sane non fuit, eas, nisi omnes, praecipuas saltem, maxime obvias, evidentesque invenire. Quin enim ullum, vel ignaviae, vel laevitatis, vel nimiae, atque in-

consideratae novarum rerum cupidinis insimularem, videbam complures praesto esse rationes, quae studiosam Juventutem ad assentiendum facilem, atque ad judicandum natura praecipitem, ad eam hypothesim summis extollendam laudibus, ac fidenter amplectendam allicerent.

Porro Auctoris nomen ob varia edita doctrinae specimina ubique locorum amplissimum, ac publico etiam monumento ab Edimburgensium Medicorum Collegio aeternitati temporum novissime consecratum; schola ipsa foecunda magnorum altrix Virorum, quibus Ars humanae salutis praeses tantopere increvit, totque in dies incrementa suscipit, quibus jam merito aetas nostra gloriatur; summa acies ingenii, quae in adducta hypothesi enitet; ejus mira simplicitas, atque apparens rerum omnium inter se convenientia; scriptionis ordo, qui obscuram, inconcinnam, ac saepe implexam, salebrosamque locutionem

contemperat; totius Medicae scientiae amplitudo arctis finibus coercita; omnium observationum, et praeceptorum per summa quaedam capita brevissima complexio; quarundam rerum, quibus vel innititur, vel exornatur hypothesis, certitudo; facilis, ea posita tamquam vera, ad obscuriora quaedam explicanda aditus patefactus; via ad medendi Artem tuto ediscendam, quae hactenus plena periculi, et laboris esse consuevit, expeditissima ejusdem subsidio reddita; fiducia Auctoris, qua sibi blanditur Medicinam adhuc conjecturalem, atque ambiguam, nunc evidentem, ac certam fecisse; cura, qua opus totam hypothesim exhibens Mediolanensibus typis recudi, eique eximie praefari voluit Ill. Moscatus, (*a*) qui ingenio, et doctrina magnam est apud Medicos auctoritatem consequutus;

(*a*) Elementa Medicinae.

studium denique, quo egregius Chirurgiae Doctor Cl. Rasorius, qui hic degens ingenii laudem supra aetatem promeruit, ex Anglico idiomate in Italicum conversum edendum quoque curavit, notis appositis, alterum Brunonis opus, (*a*) quod, dum compendiario hypothesim exhibet, Cullenii de spasmo doctrinam refellit: Caussae erant tam multae, tamque validae, ut cum Juvenum mentibus obversarentur, sine ulla haesitatione faciles, et fervidos quosque in eam deberent adducere, imo cunctantes, invitos, repugnantesque compellere.

Haec siquidem omnia cum uno veluti ictu Adolescentium ingenia percellerent, atque exagitarent, aditum omnem plerisque praecludebant sedula consideratione reputandi ea, quae Brunonianae hypothesi adversarentur. Non proinde infirma ejus fundamenta

(*a*) Compend. della nuova dottrina di G. Brown.

cognoscere; non quorundam principiorum vanitatem intelligere; non pugnantium quandoque sententiarum dissimilitudinem assequi; non ratiocinii obvelatas fallacias eruere; non sermonis perplexitatem animadvertere; non conjecturas a veris, et demonstratis distinguere; non vanae jactationis praestigia detegere; non denique illationum falsitates, ac pericula perspicere potuerunt.

Neque ipse quidem omnia ista perspexi primum; quamquam non eo adductus sim, ut Brunonis placitis permotus in ejus sententiam concederem. Cum enim veritus meam ingenii mediocritatem, tenuitatemque virium mearum, quas aetas, rerumque usus nondum firmarunt, soleam diligenter cavere, ne unquam in physicis, medicisque rebus quidquam amplectar, quod non satis perspectum sit, et cognitum, illam sane hypothesim probare, atque amplecti non poteram, quae non solum minus doctis,

sed etiam doctissimis dubia, aut plane falsa videbatur. Praesertim qui re melius inspecta vel ipsum celeberrimum Moscatum de ejusdem systematis veritate plusquam dubitantem viderem, cum diserte fateatur neque undequaque probandum Brunonem, neque cum eo omnem medendi Artem funditus reformandam esse, imo ultro moneat nullo alio consilio novam apud nos Brunoniani libri editionem curasse, quam ut ejus ope junioribus Medicis prudentem, ac rectae saepe rationi innixam dubitationem circa humoralem theoriam injiceret.

Haerens igitur, ac vehementer dubitans quid de eo systemate sentirem, coepi sine ullo partium studio Auctoris opera crebro evolvere, ac qua majori poteram mentis contentione saepe contemplari, num principia, aut fundamenta, quibus universum aedificium innititur, adeo firma essent, ut omnem cuique metum adimerent, ne iisdem in lubrico, atque instabili

locatis convulsa moles corrueret. Quae interea cogitando perspiciebam, quaeque pro Brunone ab amicis, quos nactus sum socios studiorum, proferebantur vel in colloquiis, vel in disputationibus, menti mandabam, comparando cum illis, quae audiebam prolata ab iis Angliae, aliarumque regionum Medicis clari nominis, qui sua Brunoni suffragia denegarunt, et nunc maxime denegant. Hisce autem satis perspectis, atque ad trutinam revocatis, quamquam suppetere mihi cognoscerem, quibus suffultus aequo jure potuissem non tanti hypothesim hujusmodi putare, quanti fautores plerique eam habent, atque ab omnibus faciendam esse decernunt; malui nihilominus aliorum potius auctoritate, quam meo judicio in dubia adhuc re nutantem animum firmare, quidque tutissime sequerer, cognoscere. Malui nimirum in ea opinione, quae complures sententias omnium aetatum consensu probatas vanas, et falsas

declararet, omnemque medendi rationem ab Hippocrate usque in hanc diem constanter servatam, e medio tolleret, atque iis partim contraria erat praeceptis, quae ipse a sapientissimis Professoribus, tamquam ab integerrimo fonte, plenis haustibus toto studiorum curriculo hauseram, malui, inquam, ab istis artis Magistris clarissimis, meique institutoribus quid sentiendum esset ediscere, quam mea conjectura periclitari. Cognovi enim ideo tutissimum esse, quod ab iisdem judicatum traditur, ratum habere, quia non tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quaerere solent, atque in dubiis, obscurisque rebus nihil proferre, quod temerarium sit, et nihil pariter tamquam certum, et verum proponere, quod ab ipsa rerum magistra experientia erutum nondum sit, evidenterque confirmatum. Videbam idcirco, dum iis credens desinerem meum judicium adhibere, illud mihi exprobrari nun-

quam posse, quod Pythagoreis jure exprobratum fuisse ex Tullio accepimus, quia apud eos tantum opinio praeiudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas (*a*).

Neque sane hujus cunctationis, aut consilii poenituit, quandoquidem, sive horum medendi rationem consulerem, sive eos de morbis disserentes audirem, sive de remediorum agendi rationibus, proprietatibus, usibusque disputantes auscultarem, sive iisdem Artis auxiliis medicinam aegris facientes inspicerem, sive animalis oeconomiae vires, actiones, ac functiones expendentibus attentas aures praeberem, neminem eorum intellexi Brunonis hypothesim amplecti; imo ei tanta, tamque firma opponere, ut non indubie significare viderentur in eo systemate non pauca dubia esse, quaedam inutilia, quaedam jam

(*a*) Cic. de natur. Deor. liber. I.

refutata, quaedam evidenter falsa, quaedam etiam aegris periculosa futura, si ex iisdem medendi ratio deducatur.

Factum inde est, ut istis animadversionibus instructus, atque utiliter monitus Brunonianis placitis magna ex parte adhaerendum non esse, operae pretium duxerim ea occasione, qua periculum mihi erat faciendum ad lauream Medicinae capessendam, atque ad liberam ejusdem exercendae facultatem consequendam, ex iis, quae in propriis schedis circa Brunonianam hypothesim adnotaveram, excerpere aliqua, quae cum publicae disceptationi proponerem ei opinioni contraria, moverem Amicis quibusdam, quos noveram ea nimis incensos, eique pervicacius addictos, dubitationem saltem aliquam, qua sibi caverent, ne Praeceptorum suorum judicio nimis inconsiderate obsistendo, ipsi etiam temere obsisterent veritati. Quod quidem consilium cum coepissem, ac pro

viribus ab omnibus, ut visum est, oppositorum objectionibus, contrarium Brunoni, quod protuleram, judicium sartum, tectumque servassem, nunquam credidissem propositum istud amplissimis institutoribus meis probatum, fore, ut a nonnullis postea studiorum sociis, quos diligo, et multi facio, minus amice exciperetur, atque ipse tamquam novae doctrinae infensissimus hostis traducerer.

Haec cum intelligerem de me proferri, ac probe sentirem non aeque mihi opponi, qui nunquam eo deveneram, ut Brunonis asseclis bellum indicere ea occasione mihi proponerem, vix continere me potui quin subirascerer. Verum lenis, placidusque natura cum nemini unquam soleam irasci, nec debui, nec potui maxime iis, quibus aequalitas aetatis, studiorum similitudo, voluntatum consensio, mutua benevolentiae officia, consuetudo, ac vis amicitiae me jamdiu arctissimo necessitudinis vinculo

devinxerant. Ergo cum eos probare non possem, et nollem refellere, ne acrius disputando, quod in multis contentionibus solet evenire, amicitia in discrimen vocaretur, atque interea vellem, hac incolumi, atque integra servata, suscepti jam pridem consilii rationem tueri, subiit cogitatio non arduum mihi futurum utrumque assequi, si quas in Brunonis hypothesim animadversiones in meam utilitatem scripto mandaveram, eas in lucem emitterem.

En itaque caussae, quae me adduxerunt, ut praecipuas dubitationes, quas animo tunc volvebam de hypothesi Brunoniana, nunc edam, non utique quemquam provocandi animo, non hypothesim sus, deque evertendi voluntate; sed uno ductus studio veritatis. Hanc enim nisi ipse attigero, spero saltem futurum, ut iisdem animadversionibus ad eam evolvendam aliorum studia facile excitem, qui ingenio, doctrina, atque experientia pluri-

mum valent. Quod quidem ubi sim consequutus, suscepti laboris, quicunque porro sit, quam uberrimum fructum me percepisse credidero. Tunc enim studiosi Adolescentes in Brunoniana hypothesi, sive admittenda, sive reiicienda non amplius haerebunt, non inutiliter inter se dimicabunt, ac non abhorrebunt ab iis laboribus, quos inutiles ad ediscendam Medicinam ii credunt, qui rati a BRUNONE paucis eam fuisse complexam, putant, ejus principiis bene perspectis, omnem medendi rationem satis jam esse perspectam, ac proinde parum absunt ut vetustissimo medico Herophylo adstipulentur, qui eo arrogantiae, seu potius dementiae devenerat, ut polliceretur sex mensium spatio universam edisci Medicinam.

Hisce praemonitis cum ad ipsam hypothesim expendendam accederem, non potuit mihi non primo negotium facessere quod ponit BRUNO, eam esse Animalia inter, ac Vegetabilia omnium

proprietatum consensionem, ut natura inter se non differant, et quo ad vitae principium, aut caussam plane conveniant; utraque vero ob necessarias proprietates prorsus differant ab omni materia, quam inanimatam, aut mortuam quidam Philosophorum appellant. Vel enim contendit Auctor Hominem inter, et plantam similitudinem summam intercedere, et tunc contendit quod quarundam qualitatum respectu verissimum esse ab omnibus jamdiu traditur, qui eo in sensu putant non male GEORGIUM a TURRE *plantam hominem inversum vocasse*, *ac* PLATONEM *hunc plantam inversam* dixisse. Quod si contendat vegetabilia ab animalibus gradu tantum differre, dum absolute differre fossilia existimat, videat quid agat. Docemur enim quo ad structuram, aut partium fabricam corpora omnia, ex quibus universitas rerum coalescit, ita invicem innexa esse, ut ab animalibus, et vegetabilibus fossilia ipsa ex

toto separari non possint. Demonstravit siquidem nuper Ill. Barlettus invictissimis argumentis Monroum, Henkelium, Bonnetum, aliosque magni nominis philosophos rectissime tradidisse naturam universam tanta cognatione vinciri, ut ab ultimo fossili per proximos gradus ordinatim continuitas duci possit ad omnium animalium perfectissimum Hominem. Quo ad vires autem insitas, quas vivas Philosophi appellant, non ne insigne inter animalia, et vegetabilia, atque inter haec, et fossilia discrimen existit? Profecto videmus vim animalium carnibus tribuisse naturam, qua admoto stimulo eorum fibrae protinus contraherentur, eodemque amoto ad pristinum se se relaxando statum redirent, eamque vim ipsis neutiquam denegasse vegetabilibus, quam Mimosae potissimum stirpes, aliaeque complures evidenter patefiunt. At videmus quoque istis facultatem aliam non tribuisse, quam prioribus concessit. Quae

nimirum sensum mire praestat, quae cerebro, et nervis adhaeret vis, quaeque tam multa, tamque magna in animalibus efficit, in vegetabilibus desideratur. Ipsa vero Bruta animalia inter et hominem quam dissimiliter utraque insita virtus modificata non est? Incredibilis rursus illa ratio, quae Homini privatim concessa tam miras parit mentis operationes, tantas excitat commotiones animorum, tot ingeniorum dissimilitudines, ac molimina affert, ac tot denique singularia, ac magna phaenomena suscitat, quot non praestat discrimina?

Absolutum vero illud discrimen, quo vegetabilia a fossilibus secerni Bruno existimat, proficiscitur ne ex eo, quod dum illa a quibusdam externis viribus applicitis affici possunt, protinus a motibus inde concitatis eadem tali pacto afficiantur, ut phaenomena suae vitae conditioni propria, ac respondentia edant, dum

fossilia, ac corpora quaeque ex inanimi materia coalita nihil simile patiuntur? Nonne haec quoque corpora suam vitam vivunt, suaque habent ejusdem stadia, ortum, incrementum, decrementum, et mortem? Nonne internarum caussarum, viriumque actionibus obnoxia et ipsa sunt? Nonne singulae earum partes viribus attractionis, gravitatis, atque affinitatis legibus sic obtemperant, ut cohaerere, aut contra dividi queant, primisque nexibus relictis, cum aliis confluere, ac amice vinciri, intimeque conjungi, propriam conditionem, proprietates, qualitates, et vires exuere, ac, novis assumptis, aliam faciem, aliamve indolem prae se ferre, unde alia phaenomena exhibeant? Quod si vero animadvertamus ea non pauca, quae docent principium vitae indidisse naturam, quo ob resolutionem corporum destructo, haec non possint amplius restitui, crescere, multiplicari, aliasque evolutionis, et vitae vicis-

situdines subire, aliquid adhuc erit, quod Brunoni jure possit opponi.

Sed haec missa lubens faciam, ut ad ipsum contemplandum descendam a Brunone injectum doctrinae suae praecipuum fundamentum. Ponit itaque primo id, quod vitam parit, stimulum esse in incitabilitatem, seu vim solis animantibus propriam, et corporibus, in quibus vitale aliquid est, proindeque plantis communem, ea ratione operantem, ut ejusdem effectus incitatio sit. Hoc vero stimulo, ubi excedat, incitabilitatem exhauriri, ubi contra deficiat, accumulari ita docet, ut utroque in casu ob integrum incitamenti defectum mors necessario sequatur, diserte tradit. Incitationem autem nil aliud esse arbitratur, quam sensum, et motum, hoc ipso, quod incitabilitatem nil aliud esse arbitretur quam sensilitatem, atque irritabilitatem. Hinc iuxta eum in ipso sensu, et motu non minus vita, quam proxima caussa consistit.

Est ne vero tutum, ac verum ejusmodi principium, atque ex eo recte vitae definitio deducitur? Mihi sane non videtur. Equidem concedo interitum vitalium virium ibi adesse, ubi nullus sensus, ac nullus una motus superest; at plurimum vereor, ne hujusmodi propositio e converso stare nequeat. Facultas porro cum ipso actu, ut recte Physiologi docent, confundi non debet. Docent siquidem facultatem non raro superesse, quamquam eadem neque consuetarum incitantium caussarum potestate in actum deducatur, neque aliis modis, aliisve insolitis artificiis adduci facile queat. Mihi sane si mala fortuna, quam superi avertant, visus, aut auditus, morbi cuiusvis potentia, per aliquod temporis spatium interceptus, demptusque fuisset, non illico putarem videndi, aut audiendi facultatem me jam amisisse. Sperarem enim adhuc futurum et mihi auspicato, vel naturae, vel artis viribus, quod evenit non

raro aliis alterutro sensu privatis, quibus, impedimento sive visum, sive auditum intercipiente sublato, ipsius sensus libertas reddita est. Cum autem tunc sensus, obice remoto, mihi restituatur, quod omnium judicio assequi, ubi facultas occiderit, impossibile est; nunc liquet apertissime, facultatem cum actione perperam confundi, atque illam sine hac ita superesse, ut per se quidem existere tutissimum sit concludere. Sane, si Brunoni esset assentiendum, oporteret ex constituto vitae principio quaedam rationi pugnantia, atque absurda admittere, quosdam scilicet, iam mortuos revera putare, in quibus vitae principia supersunt, atque adsunt adhuc facultates, imo post aliquod tempus eiusdem vitae actiones, functiones, ac phaenomena redeunt; et contra quosdam etiamnum vivos reputare, cum vitam iam exhauserunt. In ea profecto sententia oporteret asphyxia oppressos, aut mortem men-

tientes, seu eos, qui in aquam submersi, gastico carbonum, aliarumque mephitium viru protinus perculsi, licet nullum sensus, et motus indicium exhibeant, paullo post aeris, vel quovis alio Artis beneficio adjuti, recuperatis cerebri, nervorum, pulmonum, cordis, vasorumque actionibus, motibusque excitantur, atque ad consueta vitae, et sanitatis officia redeunt, mortuos revera judicare: quod apertissime repugnat. Oporteret rursus in Apoplecticis toties vita omnimode privata organa existimare, quae internis, externisve sensibus, motibusque voluntatis prospiciunt, quoties sub morbi invasione sensuum, eorumque motuum abolitio accidit: cum tamen utrisque non raro redeat omnis actio, ac tunc quoque in iisdem perseveret circuitus humorum, atque ex eo pendentes effectus supersint.

Si praeterea in ipso sensilitatis, atque irritabilitatis, seu *incitabilitatis* actu, vel incitatione, seu sensu, et

motu, vita est, quemadmodum Bruno acriter defendit, non in ipsa adhuc presenti facultate, cur paralysibus completis gangraena, et corruptio, aliaque interitus pedissequa perpetuo non superveniunt? Cur accidit, ut paralyticis membris sensù, et motu jamdiu privatis post aliquot etiam annos uterque inopinato interdum revertat? Id sane tantopere Brunonis principiis adversum utique accidisse, non ostendunt modo luculentae Medicorum observationes, quae in eorum libris occurrunt candide prolatae; verum etiam procul dubio Ill. Praeceptoris Retiae gravissimum testimonium perhibet. Meminit in suis praelectionibus minoris cujusdam Ecclesiae Pastoris, qui etsi tam perfecta, atque ad decem annos protracta inferiorum artuum paralysi laborasset, ut ex iisdem, quocunque licet validissimo stimulorum genere applicito, nullus unquam sensus, nullusque ad motum nisus elici potuerit; utrum-

que tamen post tantum temporis spatium ita repente recuperavit, ut ob motionis libertatem, atque exquisitam sensus integritatem miraculi instar sanatus videretur.

Quemadmodum vero in istis omnibus casibus, de quibus hactenus, etsi sensus, et motus nulli essent, seu nulla esset incitatio, vita supererat, unde concludendum sit perperam in incitatione ideam vitae ita collocasse Brunonem, ut, ea posita, vita sit, ea sublata, mors adsit; nonne contra minime mortua ea Animalia habenda essent, in quibus aliqua corporis particula irritabilitatis residuum aut in corde, aut in intestinis, aut in aliquo musculo retinet, caeteris nervis, musculis, reliquisque partibus omni insita virtute privatis? Id sane, licet absurdum, sequeretur. Nam si dicas in ea saltem parte ob motum superstitem demonstrari, in ipso incitabilitatis actu vitam esse, non in proprietate, contrarium dici oportere quo ad pe-

culiarem quarundam partium vitam experimento demonstrabo, quod ad rem maxime facit. Cum ventriculum, atque intestina e fele, quam mephitis viru paullo antea Ill. Praeceptor CARMINATUS perdiderat, evulsa, ac supra pavimentum coniecta, postquam diu, multumque peristaltico motu acta essent, primum refrigerata, deinde ob summi frigoris vim gelu constricta, omni iam motu privata inaruissent, sequenti die in calidam aquam demersa, reddita iam ipsis mollitie, interpositaeque pinguedini restituta fluxilitate, motu instar vermium, seu peristaltico iterum cieri coeperunt, qui diutissime superfuit. Porro arida illa intestina, aut mortua habeas, aut viva dicas, necesse est. Si primum dicas, quod iuxta BRUNONEM, qui ideam vitae non in proprietate, seu incitabilitate, sed in eiusmodi actione collocavit, necessario sequeretur (cum nullum incitamentum praesto esset), dices quod motus ab iisdem deinceps

intestinis recuperatus non sinit admittere, qui sane superstitem in iisdem vitam delituisse aperte significat. Si alterum vero dicas, nimirum viva tunc quoque extitisse, cum gelu inaruerant, atque omni motu destituta erant felis intestina, dices, quod ego contendo, ita nempe animalibus adhaerere vitae principia insitis eorum proprietatibus, ut istae vita interdum gaudeant, etsi eiusdem praesentis nullum phaenomenon edant, proindeque proximam eius caussam, aut rationem, quae in facultate quaerenda erat, perperam in actu Brunonem constituisse.

Neque ullo modo videretur rationi consentanea ea Brunonis sententia, qua mutationes omnes, quibus obnoxia sunt animantia, et quae vitam vivunt corpora omnia, sive illae sanitatem respiciant, sive morbos, sive eorum curationes, ab uno stimulo deducit, atque explicat. Itaque vult omnia, quae viventium partibus admoventur, sive interna, sive ex-

terna sint, perpetuo incitantia esse; eademque nullo alio modo agere, quam stimulo suo, quo pollere singula ita perhibet, ut credat etiam ea, quae debilitatem, eiusque effectus adducunt, non alia ratione, quam stimulo suo revera adducere. Ideo siquidem illa robur corpori afferre, et vim intendere putat, quia stimulum habent maiorem, haec minorem. Evenit proinde in eiusmodi hypothesi, ut quae contrarios edunt effectus, eodem actionis principio contrarios edant.

Profecto novum non est, neque primum ab ipso Brunone excogitatum principium a stimulo explicandi omnes viventis corporis, sive sani, sive aegri functiones, tum caussas morborum, tum salutares medicamentorum operationes. Post detectam siquidem a Magno Hallero carneis fibris insitam vim, seu irritabilitatem, quam dein Illustr. Viri Zimermannus, Fontana, et Caldanius potissimum summo studio illustrarunt, facile est inter Medicinae

Scriptores invenire non paucos, qui eodem stimulo usi sint ad multa sanitatis, et morbi phaenomena, ac remediorum effecta explicanda. Ita vero, tamque late eodem explicationis principio quidam usi sunt, ut, iamdiu animadvertente Cel. Gregoryo, non defuerint, qui iam dudum acriter contenderent vel ipsam proximam actionis caussam, quam sedantia remedia exerunt, in solo eorundem stimulo quaerendam esse.

Sed etiamsi liberaliter eiusmodi inventum tribuatur Brunoni, eritne ex hoc ipso laus quoque ei tribuenda? Equidem non existimo. Cum enim tutissimum sit illud principium communi Philosophorum consensu firmatum, quo monemur, posita eadem caussa eosdem effectus sequi, possumus utique intelligere quomodo caussae eiusdem generis possint, pro vario actionis gradu, nunc vividiores, nunc remissiores, nunc plures, nunc paucos effectus edere, unde isti intensione,

et quantitate differant; nunquam vero possumus concipere, aut admittere, quomodo illae caussae gradu tantum dissimiles queant effectus contrarios, atque inter se plane oppositos procreare, maxime iisdem positis corporis viventis, quas illae afficiunt, conditionibus. Quis nam cordatus putabit cum Brunone calorem, et frigus dissimiles effectus parere, utrumque stimulo suo; ita tamen, ut dum ille roboret, hoc debilitet? Si, quaeso, concedit frigus positivum dici non posse, non adesse frigoriferas, quas olim quidam confinxerant, moleculas, ac nil aliud esse frigus, quam caloris imminutionem, non ne istud, calorem ipsum subtrahendo, stimuli caussam, stimulum eundem subtrahet? Atqui hoc modo nonne sedantes effectus exeret? Difficultatem eiusmodi cum perspexissent Brunonis asseclae, crediderunt se tutissime eius vim declinaturos, si dicerent ita a calore nascentem stimulum frigida applicita

removere, ut tandem ultima eorum actio stimulans sit. Videant interim, ne dum ista proferunt, nova arma suis hostibus praebeant. Notum est ex Physicis calorem ad aequilibrium perpetuo tendere, proindeque, si calefacto lateri frigidus alter superimponatur, hunc ab illo tantum caloris tamdiu detrahere, ac secum absorbere, donec eadem in utroque evadat temperies. Ex hac lege sequitur, ut frigidus potus, vel aer frigidus, dum humani corporis partibus calidis admovetur, debeat calorem necessario adimere, atque eo ipso actu, quo adimit, stimulum subtrahere, neque tunc stimulare. Quando vero detractione absoluta praesto est aequilibrium inter partes prius calidas, et corpora antea frigida, nulla esse poterit horum actio stimulans. Ergo quemadmodum in primo casu stimuli vis subtrahitur, unde applicati frigoris effectus a stimulo nequeant explicari, ac contrariam actionem omnino

evincant; ita in altero casu ille nullo modo se efferet levissimus stimulus, qui in frigidis etiam corporibus inesse censetur ab exigua natus quantitate caloris, qua frigida non carent.

Ad demonstrandum vero quam falsum sit existimare actionem omnium rerum, quae viventis corporis partibus applicitae mutationes praestant, nullam aliam perpetuo esse, quam stimulantem, ut caetera mittam, faciunt quammaxime salutares cuique notissimae quorundam remediorum operationes, quae ideo utilissimae existunt, quia vel praesentem alienum, atque iniuriosum stimulum tollunt, vel eiusdem vim moderantur ob aliud quidem principium a stimulo plane diversum. Dum in faucium, atque oris phlogosi tepidum lac, aut aqua tepida instar fotus usurpata, atque ore detenta ardorem, dolorem, ruboremque moderatur, et tollit, ac stimulo dempta potentia morbum sanat, stimulando agere quisnam dixerit? Quis

censebit emulsionem arabicam ore asumptam, vel in alvum, ubi saeviat dysenteria, infusam, tormina, tenesmum, aliasque molestias, quae a stimulo fiunt, stimulando compescere, ac submovere? Quis pariter reputabit emollientia, ac mucilaginosa ardorem, atque irritationem urinalium vasorum, vel a nimio calefacientium usu, vel ex Cantharidibus, non alia de caussa auferre, quam quia stimulant, si a stimulo oritur morbus, neque ea aliam habeant indolem, quam, quae stimulo contraria sit, eique omnino natura opponatur? Ad alterum vero quod attinet, nonne evidens est plura praesto esse, quae chemico, aut alio quocunque principio agunt, atque actionem exerunt, quae a stimulante prorsus differt? Nonne sapones, ac succi eiusdem indolis ideo morbos quosdam curant a viscosa, et stagnante bile profectos, quia chemica in bilem actione, quae simillima est illi, qua eundem humorem e corpore eductum

afficiunt (quo in casu nemo dixerit a stimulo mutationem inductam), resolvunt, seu, ut dicunt, decomponunt? Nonne ab eodem chemico actionis principio, quae in eodem humore acida suscitant? Nonne rursus chemico agit modo alkali volatile causticum, aut magnesia in calcem redacta, quando acido primarum viarum absorpto, atque in aliud corpus converso, ac vapida humorum pronitate cohibita, ab acore orta mala discutit? Nonne denique aqua hepatica, vel hepar sulphuris, docente HAHNEMANNO, affinitate sua, non stimulo, salivae profluvium ab Hydrargyro concitatum tam celeriter sistit, ut uno fere temporis momento interdum cohibere videatur? Acetum autem dum morbos, quos vel fungi pravae indolis, vel Opium liberaliter deglutitum inducit, profligat, actione profligat, quae sane stimulo referri non potest.

Verum obiiciunt haec omnia pharmaca, quae adducto agunt mo-

do, non in partes humani corporis agere, sed in materiam eodem contentam. Ergo iam sentiunt quod debent concedere, praesto esse quae alio principio, non stimulo ita proficua sint, ut fatendum sit quae certis medentur morbis vi propria, atque a stimulo diversa efficaciter mederi. Reponunt singularis partis, non totius corporis fuisse aegritudines illas, quibus remedia opem tulerunt. Verum sin minus omnes, saltem, quas Opium affert communes erunt; cum ipsum ab Auctore stimulus se diffundens habeatur, a quo totum corpus afficitur. Deinde quaenam affectio potest non esse communis, si incitabilitas, quae unis Animantibus competit, una perpetuo est, eademque simplex proprietas? Venaesectio autem, quae peripneumoniam curat, nonne est remedium, quod communem morbum sine stimulo curat? Adstringentia vero nonne fibras firmiores, rigidasque efficere non su-

mulo videntur, sed terrearum partium additione?

Hanc Ill. CARMINATI sententiam magis nuper confirmavit Ill. pariter Praeceptor SCARPA adductis ex ossium fabrica exemplis. Hoc siquidem utitur elemento Natura dum limpidum liquorem opacis primum punctis obscurat, quae in cartilaginem dein abeunt, atque os. Hoc principio eadem efficit, ut, senectute valde provecta, costarum cartilagines, ac vasa sanguinea osseam plane indolem, ac duritiem interdum acquirant. Hoc denique exosthoses fiunt, tophi, et nodi, quibus Siphylitici, ac Podagrici interdum obnoxii evadunt. Quod si praeterea eadem ossa ob imminutam vi morbi, ut in Rachitide quandoque evenit, terrae copiam pellucent, mollescunt, ac flecti possunt, tum tamdiu macerata, donec omnem pene exuant terram, in cellulosum iterum textum laxantur, cur firmitatem, rigiditatemque, quae ab Adstringentibus fibris

sensilitate, irritabilitateque praesertim destitutis impertitur, a stimulo deducam, non vero a terreo elemento, quo uno natura, vel praestito fluidas partes inspissat, ac molles indurat, vel contra sublato densas solvit, ac duras, flexiles, laxas, mollesque reddit? Cur eundem plane effectum a diſſimilibus caussis repetam, ac per plura effici arte credam quod probe intelligo aeque per pauciora fieri posse, ac revera ipsas naturae vires praestare?

Caustica autem remedia, quorum actio eiusmodi est, ut Brunonis principiis adversetur, quonam iure poterunt eius asseclae contendere una stimulandi potentia instar rubefacientium, aut vesicantium operari, atque aegris hac tantum ratione conducere? Quonam, inquam, fundamento innixi affirmabunt proximam eorum utilitatem ab uno stimulo esse derivandam, si eadem generatim commoda praestant, quae vesicantia, atque ul-

cere inducto suppurationem moventia non afferunt, si quasdam speciatim aegritudines curant, si denique eorum nonnulla validiora, igne etiam excepto, mortuis iam carnibus applicita, (in quas sane stimuli actio nulla esse potest) ea resolutionis, et chemicae operationis phaenomena tunc quoque exhibent, quae vivis partibus admota edere solent? Haec sane tantum ponderis habent, ut mihi, qui concedo lubenter Caustica stimulo suo partim prodesse, certum ius praebeant a BRUNONIANIS postulandi quod non minus rationi, quam experientia consentaneum est, nempe alio etiam actionis principio, quod a stimulo plane diversum sit, ea remedia maxime auxiliari.

Luculentissimum vero exemplum alterius generis medicaminum, quae etsi stimulum aliquem habeant, tamen non eo, sed alio sibi proprio principio applicata corpori paria sunt irritationibus adimendis, quo praesentissi-

ma fiant auxilia, afferunt Sedantia medicamenta, eorumque princeps Opium, Quidquid de huius remedii agendi ratione, ad quod tamquam ad sacram anchoram Brunoniani confugiunt, ipsi dicant, ut ostendant, proprie non sedare, stimulans esse, ac stimulando mitigare, aut tollere dolores, velint, nolint, concedant necesse est, non eos tantum moderari, atque auferre dolores, qui a vera debilitate originem ducunt, verum etiam illos, qui ab organico vitio, ab inflammatione, et virium incremento, atque ab incitamento quocunque nimio nascuntur. Cruciatus prope ingentes, quos calculus biliaribus ductibus, renibus, et vesicae adhaerens movet, quos tumor, scirrhus, et cancer suscitant, quosque ipsae etiam pectoris, aliarumque partium inflammationes subinde pariunt, Opium protinus mitigare, et tamdiu etiam tollere, quamdiu eius actio perdurat, tam nota cuique res est, ut testimonia eorum, qui id

observarunt, quorum plurima Trallesius, ac Murrayus speciatim allegant, modo repetere idem esset, ac crambem, ut in proverbio est, recoquere. Interea abs re non erit nunc meminisse duarum observationum, quas duobus ante annis in Valetudinario Clinice ediscendae destinato Ill. Praeceptor Frankius instituit. Prima est Viri, in quo immanes dolores, et tetanum toties Opium leniebat, quoties offerebatur, quamquam praegrandis schirrus ventriculo adhaereret, ut post obitum reserato abdomine apparuit. Altera Pueri est, in quo ex pleuro-peripneumonia decumbente tussim vehementissimam solum Opium avertebat, licet nondum dissussa inflammatio esset. Neque aliquis ignorare potest post Chirurgicas operationes, quae ingentibus saepe comitantur angoribus, Opium summo cum emolumento aegris impertiri.

Si itaque Opium eos etiam dolores removet, qui a nimia incitatio-

ne fiunt, si spasmos, et contractiones solvit, atque avertit a nimio stimulo inductos, ubi simul deplentia Chirurgica omnino conveniunt, fatendum erit, eos rectissime scrutatos Opii agendi rationem fuisse, qui dum admittunt unum in eo principium, quo cordis actionem stimulando incitet, alterum quoque in eo agnoscunt prope singulare, quod in cerebrum, et nervos operando, horum vim, et sensum moderetur, atque imminuat. Quae quidem sententia non solum cum phaenomenis omnibus consentit, quae Opium parit, estque rationi consentanea, quae duo in eodem corpore actionis principia praesto esse, quae in partes natura dissimiles alio modo se exerant, non excludit, imo admittit, ac revera occurrere ostendit; verum etiam respondet experimentis, observationibusque, quas in Homine, atque in omni pene Animalium genere Hallerus, Younghius, Fontana, Carminatus, aliique susce-

perunt, quasque Murrayus singillatim commemorat.

Neque quidquam valet, quod opponunt, ut vim difficultatis eludant, ex eo, quod Opium levi dosi datum stimulet, neque consopiat, fluere necessario, ipsum, dum maiori dosi exhibitum sedat, atque consopit, id non aliunde proficisci, quam ex eo, quod tanto stimulo exhausta incitabilitate languor, virium imminutio, seu *indirecta debilitas*, ut loquuntur, sequatur. Et sane quod primo tradunt generatim verum non est. Nam saepe levissima propinatum quantitate protinus sedare, ac praeterea dolores saepe removere, et somnum inducere testantur superius adducti Praeclarissimi Viri eodem prorsus tempore, quo calorem, ruborem faciei, ac cordis, arteriarumque motus incitatos perspexerunt. Quod deinde secundo loco ponunt, si verum id esset, ad exhauriendam sane incitabilitatem quam minima dosis Opii, non maxima, re-

quireretur. Cum enim in eo casu, in quo dolor saevit ob nimiam vim stimuli, status habeatur quam proximus illi, quo per excessum, ut vocant, incitabilitas exhauritur, atque ea exhausta, ob debilitatem indirectam doloris cessatio, languor, somnus, sopor, et mors sequuntur, non profecto multum Opii, sed quam minimum sufficeret ad eos dolores sedandos, qui a nimio stimulo proficiscuntur. Quam parum scilicet Opii, seu stimuli sufficeret ad eum excessum afferendum, quem quies, solamen dolorum, somnus, aliaque excipiunt; secus quam accidere doceat experientia. Haec siquidem docet, ut Clinicorum neminem latet, in tetano, atque opisthotono, in morbis inflammationi affinibus, doloribusque atrocioribus, aliisque aegritudinibus, quae ab excessu virium fiunt, nisi liberali Opium detur quantitate, nec dolores consopire, nec spasmos solvere.

Equidem scio liquorem anodynum, alkali volatile, aetherem, aliaque huiusmodi quasdam nervorum aegritudines discutere ; sed eas, quae a vera debilitate procreantur. Scio corticem aliquas odontalgias, ac cephalaeas sistere; sed peryodicas, quae ex fomite a febribus, quae intermittunt, non dissimili, aut ex propria debilitate fiunt: unde haec omnia in febribus putridis etiam conveniant, a quibus Opium excluditur. Omnes autem sedere nervorum turbas, omnes consopire dolores, cuiuscunque generis sint, atque a quacunque caussa illati; id sane unius Opii est. Quod quidem privilegium ex solo stimulo explicare nec possunt Brunoniani, nec poterit unquam qui discrimen istud ex eo studet derivare, quod in hoc pharmaco stimuli vis maior sit, quam in caeteris Stimulantibus reperiatur. Si haec enim una esset discriminis caussa, aucta dosi, secus atque accidat, obvium esset eam re-

movere, ac proinde Opii vim hoc modo ad parem gradum, atque actionis efficacitatem evehere; quod observationi repugnat. Nam Opii vis maior a maiori aliorum remediorum copia nullo modo compensatur.

Qui praeterea putant a priori, seu a mechanice, qua agere possunt, et humanum corpus afficere remedia, tuto assequi eorum facultates, quibus aegrorum rationibus conducant, videntur ignorare, opus esse plenum aleae, ac generatim vanum, cum praesertim nec semper tutiſſimum sit easdem facultates ab affectibus prospicere. Non enim tota effectus ratio, quam remedium humanum corpus afficens exerit, in eo uno continetur; sed non parum eadem pendet ab aegri, cui impertitur, propria constitutione ex singularibus sex rerum non naturalium usu nascentibus proprietatibus orta, tum ex eiusdem peculiari conditione a variis morbi caussis, ac complicationibus profecta. Hinc eve-

nit, ut non raro qui in adversam valetudinem incidit ea animo refugiat, vixque ore assumpta reiiciat, quae antea palato grata, et stomacho apta avidissime vorabat, aut contra effraeni quadam voluptate Carbonem, Gypsum, aliaque absurda, quae alias prorsus horruisset, spretis cupediis, aliisque deliciis ciborum, appetat, ac sumat. Inde etiam accidit, ut nunc suavissima odore ei videantur, quae alias halitu gravia, ac tetra prorsus erant. Hinc demum sequitur, ut idem pharmacum modo adstringens, modo laxans videatur, aut vires nunc erigat, nunc deprimat.

Caeterum si id omne, quod Hominis, aut cuiusque Animantis corpus afficit nil aliud est, quam stimulus, in eo sane stimulorum summa, atque incitamentum tam continue augebitur, ut nulli iam morbi praesto sint ex viribus imminutis, seu suppressis. Erunt nimirum ex iisdem oppressis omnes, ac proinde eiusmodi

erunt, qui nullam curationem admittent; quoniam iuxta Brunonem nullum nobis suppetit remedium, sive Artis morborum medicatricis instrumentum, quod stimulans non sit. Ex quo quidem necessario sequitur, ut ipse debeat omnino admittere, quod absurdum habetur, nempe id tollere morbum, quod morbum peperit.

Sed neque, ubi omnia in Animalibus obvia phaenomena ope stimuli possent explicari, tutiſſima esset Brunonis illatio, omnia nimirum stimulo fieri; quemadmodum temerarium esset cum eo credere hoc plane hypothetico principio Medicinam adhuc coniecturalem Artem in veram, certamque scientiam ab eo primum redactam fuisse. Ad illud porro principium constituendum, ac veluti praesens, aut existens demonstrandum satis non est cum Brunone possibile reputare. Non enim id omne, quod possibile est, reapse existit. Neque

ad eius existentiam evincendam valet quod alii observant, posita nimirum vitae definitione, quam BRUNO tradit, necessario sequi stimulo fieri omnia. Quid enim inde? cum eadem vitae definitio, ut vidimus, non minus hypothetica, quam falsa sit. Etiam PLATONIS respublica suis legibus regitur, iisque optimis, eique necessariis, quae tamen nobis inservire non possunt: quia Homines non eo quidem ordine, quem sibi fingebat omnium Philosophorum facile Princeps, at longe alio ob communes necessitates, et vitae commoda in Civilem societatem coaluerunt.

Non minus ergo Homo PLATONICUS, qui nusquam est, quam BRUNONIANUS ad entia rationis referri debet, quemadmodum ad ea BUFFONIUS phlogiston a Sthaliana Schola conflatum nuper referebat. Doleo quidem tantum Virum, cuiusmodi BRUNO mihi semper erit, fervidae imaginationis potestati nimium tribuen-

tem vanas istas larvas sectasse, atque acre, quo pollebat, ingenium eo contulisse, ut Medicinae progressus, tot excitatis disputationibus, et tricis, ea aetate impedirentur, qua ipsius perfectionem auspicabamur. Sed, nescio quo fato, nihil est tam absurdum, quod non aliquis dixerit Philosophorum.

At videamus cur Brunoni rursus assentiendum non sit dum incitabilitatem, seu irritabilitatem, et sensibilitatem, a stimulo in actum deductam, ac pro vita assumptam, contendit, unam, simplicem, atque individuam proprietatem esse solis Animantibus concessam. Mihi enim non videtur neque a dissimilibus partibus unam proficisci posse facultatem, neque revera eandem proprietatem in omnibus praesto esse, eandemque vitae rationem singulas habere. Cum enim animadvertente Ill. Praeceptore Barlettio Philosophi doceant, organica corpora variis partibus constare,

quarum singulae sibi propria, ac specifica gaudeant ſigura, imo quae perfectiora sunt, ut Animalia, maiori earum numero donentur, eaedem particulae, sive incrementum, veluti in Animalibus accidit, suscipiant partes, sive reparatione egeant, eiusdem semper generis sint; necesse omnino est, ut propria, ac distincta iisdem maneat structura. Secus enim ubi molecula, quae ad musculum spectat, ossibus apponeretur, aut tendinibus, quae nervea est, inorganicum quiddam, ac sarcomatosum oriretur. Si ergo necessaria manet in singulis organicis particulis dissimilitudo, si quaelibet natura distincta est, si quae absolute differt non potest eandem plane proprietatem referre; quomodo diversis partibus adhaerens sensilitatis, atque irritabilitatis vis una eademque erit? Quomodo rursus pro diversitate partis quaelibet non differet? Ubi autem differat cur non ipsa vita pro partis discrimine diversa non erit?

Porro

Porro quamvis proximam naturam irritabilitatis, ac sensilitatis, tum primas utriusque caussas intimius scrutari nobis non liceat; alterutrum tamen ex effectibus ita, tamque tuto distinguere novimus, ut poſſimus non sine ratione, imo cum omni veritate defendere, tum sensilitatem, cum irritabilitatem pro diversa corporis parte non solo gradu diferre. Ne autem omnia adducam, et pauca tantum attingam, quid aliud, nisi istud discrimen, sibi volunt Crocus metallorum, et Cantharides, dum ille, qui nullam oculis vim infert, ventriculi fibras afficit, ita pungit, atque exstimulat, ut vomitum moveat; atque hae, dum ventriculo parcunt, organa urinalia lacessunt, inflammant, atque ischuriam faciunt? Quid Digitalis purpurea, quae nervum frontalem dolore speciatim afficit? Quidque alia multa hisce similia? Comperitissimum est, inquit Magnus Burserius „ a Tartaro emetico in ve„ nas infuso ventriculum dumtaxat

„ affici, vomitumque cieri; ab extra-
„ cto Pulsatillae nigrae ore sumpto
„ oculos potissimum lacessi, inflam-
„ marique; et demum tantam cum
„ iisdem oculis affinitatem habere So-
„ lanum furiosum, sive Belladonnam,
„ ut eius dilutum, et pulvis intrin-
„ secus datus iridem corruget, atque
„ obliterare videatur (*a*)„. Nonne praeterea aer, qui nobis effunditur, et tepida aqua, quae nec levem molestiam aliis partibus inferunt, cor ita percellunt, ut aliquando torpens eius motus reviviscat? Nonne sanguis, qui intestinorum, ac musculorum fibras ad contractionem non sollicitat applicitus, cor ita percellit, ut istud mobiliter palpitando ignis celeritatem imitetur, aut lacessitum, cum iam conquieverit, ad motum iterum redeat, quemadmodum evenit, quando sanguis e vivo Animante in vix mactatum, vel exanguem transfunditur?

(*a*) Institut. med. pract. Vol. II. Pars II.

Praeter haec Opium, quod irritabilitatem (ut HALLERI, CARMINATI, et FONTANAE experimenta docent), intestinorum extinguit, dum cordi propriam intendit; Hydrargyrum, quod vi sua ad organa salivae speciatim contendit; virus hydrophobum, quod fauces praesertim aggreditur; pestis contages, quae, licet per universum corpus deducatur, non omnia jam pessundat, dum bubones infert; viperinum virus quod ore assumptum, atque deglutitum innoxium, vulnere affusum sanguini icterum, lethargum, et mortem parit; quaedam venena, quae ictu cito perimunt, dum contra eorum pocula morte carent; atque alia sexcenta, nisi probent pro varia corporis parte verum, atque absolutum sensilitatis, atque irritabilitatis discrimen praesto esse, nulla iam erunt argumenta, quibus possimus veritatem aliquam physicis rationibus demonstrare. Hinc accidit, ut hi etiam, qui multo ante BRUNONEM crediderunt irritabili-

tatis diſſimile genus inter cordis fibras, et musculares intestinorum, ac reliquarum partium irritabilium ideo non esse constituendum, quod quaedam Venena, ipsumque Opium praesertim, dum istas laedit, et destruit, illis parcit, ac potius excitat; agnoverint postea distinctum illud irritabilitatis duplex genus ab Hallero, Zimermanno, aliisque statutum revera existere. Cognoverunt siquidem adductum phaenomenon, tum alia non pauca, quorum quaedam a me proposita sunt, a maiori, vel minori, qua partes donantur irritabilitatis gradu, virtute, et robore non posse derivari. Fatentur itaque omnes quo ad irritabilitatem ita neceſſario differre inter se humani corporis partes, quemadmodum sensilitate necessario differunt.

Neque ex eo, quod nonnulla pharmaca, aut quidam stimuli non unam tantum, sed complures viventis corporis partes afficiant, eorumque conditiones immutent, arguendum est

unam, et simplicem remedii actionem, aut unum stimulum parem perpetuo esse pluribus, et dissimilibus mutationibus, atque effectibus praestandis. Id enim rectius, et verius ostendit in quibusdam remediis principium actionis multiplex esse, non unum. Varia profecto principia actionis in uno, eodemque remedio esse posse quae in uno saepe notantur diversa elementa, ac pro vario horum discrimine dissimiles eorum cum aliis corporum particulis affinitates, ac diversi, qui proinde ex iisdem nascuntur, effectus quod dicebam, aperte significant. Quod si etiam simplicissimum remedium plures partes una afficiat, id non excludit, istas diverso prorsus sensilitatis, atque irritabilitatis genere donari. Nam cum remedia non pauca per vim affinitatis etiam operentur, ita agere possunt, ut quamvis simplicissima, ob eandem tamen proprietatem, partes sensu, atque irritabilitate diversas commoveant, ex-

citent, atque immutent: immutent nimirum pari modo, quo videmus Acidum aliquod simplex ob vim affinitatis cum terris, salibus, aut metallis intime copulari, quorum natura prorsus dissimilis est, ac proprietates plane diversae existunt.

Quod si ab hausto fumoso falerno, aut optimo quocunque liquore ingentium virium, vel sumpta copia opipari cibi, non stomachi modo, sed totius corporis compages una excitetur, omnesque actiones, ac functiones intendantur, tum etiam a minimi licet nervi laesione totum corpus clonicis motibus succutiatur; id nihil aliud ostendit, quam inter singulas humani corporis partes nexum interesse, atque inter quasdam mirum consensum. Ut autem iste habeatur, non quidem aequalitas partium requiritur; sed simplex relatio, ut Philosophi, loquuntur, sufficit. Relatio autem in entibus etiam natura inter se diversis haberi potest. Nonne ab excitantibus

animi affectibus totum corpus laetitia gestit, atque exultat? Nonne ipsum contra a deprimentibus perculsum confestim languet, et contabescit? Ex eo autem, quod anima tantopere, ac diversimode pro vario eius nutu corpus afficiat, quisnam inde dixerit illam corpori similem, et cum spiritu materiem confundet? Neque suam mihi satis vallare videntur opinionem Bruniani, quando ad eam tuendam nobis obtrudunt nervos omnes ex eadem materie componi, atque ab uno cerebro omnes, veluti a trunco, ramos prodire. Id enim quo ad utramque partem non adeo perspicuum est, ut ipsi fidentissime putant. Nam Ill. Praeceptor Volta scintillae electricae subsidio deprehendit alios nervos sensui inservire, alios motui, neutri alios; qui profecto vitae inservient; (veteri restituta Physiologorum doctrina), et Ill. Monrous qui hanc difficillimam Anatomes partem tamquam Spartam exornavit, nervos in

cerebro terminari, non ab ipso nasci asseverat; atque eos etiam propriis muneribus fungi, quin vel a cerebro, vel invicem dependeant, multorum opinio est. Et re quidem vera monstrosum agnum habuit nuper Ill. Praeceptor Spallanzanius, adhuc vivum in lucem editum, etsi cerebro, trunco, ac magna parte spinalis medullae careret: quod monstrum internarum partium structura prorsus mirabile solerti cura Ill. Praeceptoris Malacarnii praeparatum in rérum naturalium Musaeo Ticinensis Gymnasii nunc visitur. Quemque rursus nervum per se proprio munere fungi, sibique propriam vivere vitam, et quidem cuique particulae insitam ante ipsum Monroum nonne significarunt experimenta in Animalibus acta, in quibus apparuit Venenorum quorundam potentia sensilitatem in cerebro, atque in spinali medulla deletam fuisse, ea interim in nervis, qui ad artus, aliasque partes feruntur, superstite? Ex eo dein-

de, quod nervi ubique vasis circumdati, ac fere picti sint, atque horum functiones opem sibi ipsis mutuo praestent, atque amice conspirent, aliae atque aliae, iuxta diversam sedem, ad quam nervi advehuntur, horum proprietates, ac varii effectus pariter sint necesse est. Quemadmodum enim in diversis partibus solent vasa humores dissimiles secernere, unde sua unicuique parti maneat structura, ac naturalis conditio; nervis quoque ipsis inde non minimum discrimen accedet.

Non est demum nervus per se id, quod sensilitati, atque irritabilitati praeest; sed illud principium, quod in eo generatur, quod sive nervosum, sive vitale appelletur, sive fluidum, sive non, habeatur, mihi perinde est, cui sufficit adesse, ac per se, sive nervo inclusum, sive adhaerens, existere. Rem enim ita se habere, ut caetera mittam, ligati nervi ad aliquam partem pertinentis experimen-

tum apprime demonstrat, quoniam huius sensus, interiecto vinculo, perit, tum deinceps soluto, iterum restituitur. Hoc autem principium non in cerebro, tamquam in communi officina parari, atque ad partes inde omnes affluere, at in qualibet corporis parte elaborari idem MONROUS comprobavit. Cum autem quaevis pars propria vita gaudeat, eiusque ratio iuxta ipsius partis diversitatem differat insigniter, ideo maxime, quod humanum corpus perfecte organicum sit; oportet etiam diversum esse principium illud, a quo illa dependeat. Effectus enim sequitur naturam caussae. Quis reapse nervi optici, acustici, olfactilis, et gustatorii sensilitatem plane diversam non habebit? Quis dixerit lucem, sonum, odorem, saporemve solo gradu inter se differre?

Haec itaque cum aperte constent, liceat mihi prolatis quaestionibus non amplius immorari. Cum enim evidens sit sensilitatem, atque irritabilitatem

pro diversitate partis diversam esse id mihi novisse satis erat, etiamsi non potuissem ostendere nervos pro varia partium sede nullo modo differre. Non enim ideo neganda, vel in dubium revocanda res est tutis observationibus evicta, quia eius ratio reddi hactenus non possit. Sibi tamen BRUNONIANI temperare non possunt, et quod ab experimentis assequi nequeunt, student Methaphysices regulis usi, a me, atque ab aliis impetrare. Student nimirum BRUNONIS hypothesim ideo veritati apprime consonam demonstrare, quia, utpote simplicissima, naturae respondet, quae simplicitate admodum delectatur, ac notissimo consentit principio, quo monemur, non plures caussas admittendas esse, quam quae phaenomenis explicandis necessariae sint. Non plures mehercle; at neque minores, quam ratio, et phaenomena necessario postulant. Neque porro natura semper ita simplex est, ac nos simplicem eam

effingimus. Deinde si sensilitas, atque irritabilitas una est totius corporis indivisa proprietas, cur renes Cantharidum stimulum sentiunt, non item ventriculus, licet huic proxime admoveantur? Num forte tum temporis cessat ventriculi sensilitas? An novam assumit naturam? Num differt pro varia corporis sede insita vis? Videant quaeso BRUNONIANI, ne quid constituant, quod statutae opinionis principio adversetur, quo ducti in universo corpore unam tantum proprietatem agnoscunt.

Contra in ea sententia, quam ego defendo, adductum phaenomenon et nullum negotium facessit, et commode rursus explicatur; sicuti multa alia facile explicantur, atque illud in primis, quod in quibusdam morbis crebro se se offert. Nonne siquidem explico, ut hoc praesertim attingam, cur una aure morbo laborante ad alteram quoque tam saepe soleat ille propagari, integris propioribus,

innexisque partibus? Cur Opthalmia, aut Amaurosis ab uno oculo facillime ad alterum deducatur, dissitis potius, quam proximioribus, sive locis inflammatione correptis, sive nervis resolutis? Cur dolor, et caries ex dente, quem primitus laeserant, non ad eos, qui proxime sequuntur, se extendant, sed ad illum, qui in altero positus latere figura, fabrica, et nomine ei respondeat? Sicuti enim juxta diversas, aut similes partes sive sensilitas, sive irritabilitas, aut diversa, aut similis, seu aequalis est; caussa ipsa praedisponens in similibus eadem, in dissimilibus diversa erit. Hinc ubi caussa praedisponens, aut idem stimulus, seu eadem caussa occasionalis, quae in aliqua corporis sede morbum intulit, ad aliam quoque similem deferatur, nascetur illico caussa proxima, eiusque effectus, nempe morbus: quod quidem fieri non posset in diversa parte, licet eam idem quoque stimulus pertingat. Deest enim tunc

dosi praedisponens caussa, deficitque illa inter hanc, atque occasionalem relatio, sine qua utraque coalescere ita non potest, ut caussa proxima exsurgat.

Id autem dum dico, non assentior Brunoni, qui ut morbus nascatur, semper opportunitatem (ut ipse loquitur) adesse contendit, quamque opportunitatem nil aliud esse vult, quam eum statum, in quo homo a sanitate sensim deflectit, quin tamen adhuc morbo laboret, ab eoque statu recedat vi earundem caussarum, quae postea maiores factae, vel validius operantes, morbum suscitant. Etenim Pathologi observationibus suffulti docent, tantam quandoque esse tam occasionalis, quam praedisponentis caussae vim, ut alterutra per se ad morbum, et quidem gravissimum, suscitandum valeat. Quo etiam fit, ut iure animadverterint hoc uno respectu, etiam si caeterae caussarum, morborumque complicationes

negligantur, caussam proximam in simplicem, et compositam discriminari, quatenus haec nunc ab alterutra, quae vel proegumena, vel procathartica est, nunc ab utraque exsurgit, atque invalescit.

Quam ob rem si valet principium illud, quo monemur, eas in primis amplectendas hypotheses esse, cum nulla tutissima sit, quae phaenomenis explicandis aptiores sint; non erit profecto quod alios deseram, ut sequar Brunonem. Quamquam, dum physicae, et medicae quaeruntur veritates, praestat observationibus, atque experimentis potius, quam Methaphysicis principiis credere. Abstractae enim veritates, et physicae crescunt in ratione inversa, cum illae plus invalescant, quo magis a concretis ad abstracta evehimur; alterae vero, quo magis ab istis ad concreta ducimur. Sequor itaque quod physicum decet cum obsistens Brunoni illud Medicinae sistema sequor, quod, ut vidimus

non fictis ad arbitrium hypothesibus, sed observationibus, atque experimentis, quibus fides denegari nullo modo potest, tutissime innititur. Nonne revera cachinnos moveret, qui hodie methaphysicum plane Sthalii systema, aut aliud quodvis plane simile, ei opponeret, quo Hallerus, solidis fundamentis Physiologiae praestitis, nominis aeternitatem sibi merito comparavit?

Nec solum tum sensilitas, cum irritabilitas pro diversa corporis sede absolute quaelibet differt: sed differunt quoque absolute inter se vires eaedem, licet eas Bruno uno *incitabilitatis* nomine complexus sit, quasi utraque vis, nullo modo distincta, una, eademque proprietas esset. Quamquam autem ad hanc rem spectantia multa proferri possint argumenta, quae Brunonis opinionem plane evertant; praecipua tamen, et quidem presse, brevitatis caussa, attingam. Dicam itaque discrimen ex diversa sede, in

qua proprietas locatur, iam praemonstrari, quatenus eadem in solis muscularibus fibris adest; stimulis eas ita obtemperare, ut contrahantur; certas in contractione, et relaxatione leges sequi iam pridem ab Ill. Fontana sancitas, dum contra nervi neque eiusmodi contractioni, ac relaxationi obnoxii sunt, neque iis legibus obtemperant; irritabilitatem ita propriam non esse Animalibus, ut eadem ad Vegetabilia non extendatur, dum contra ista sensilitate plane carent, qua carere non possent, si utraque vis una, eademque res esset; hanc vim insitam carnibus excuti, animante licet invito, et feriante, aut deleta sensilitate tum nervis propria, tum cerebro; ac demum post sensilitatem penitus deletam, eandem sat vividam, imo interdum supra naturalem sui conditionem incitatam superesse. Nonne siquidem iamdiu vidit Hallerus Ranae capite obtruncato, et spinali medulla excisa, dum aorta vinculo intercipiebatur, aut cor

erat cum vasis ligatum, atque evulsum contra obstaculum ipsum aperte reniti? Nonne vel antiquitus saepe animadversum est, ut inquit Tullius, cor animantis evulsum quam mobiliter palpitasse? Nonne ipsum, nonne alias etiam partes musculares in Animalibus etiam grandioribus quadrupedibus mactatis, sectisve passim videmus ad plures horas contractionis motus solo aeris stimulo obire, tum, ubi conquieverint, novis applicitis irritamentis ad novas contractiones adigi? Cui praeterea nota non sunt in Anguillis, in Salamandris, ac in Viperis observata, quae ostenderunt ultra diem post obitum irritabilitatem non raro produci; tum capta in Tardigrado, atque in Armadillo, quae utraque calidi sanguinis animalia ob caput obtructatum, ac cor etiam e sua sede discerptum morti licet tradita obtulerunt, cum iam sensus nullus esse posset, ad plures dies irritabilitatem superstitem? Cui comperta non sunt experimenta Ill.

Spallanzanii, ad caussam circumeuntis per vasa sanguinis motus propiorem, potissimamque constituendam suscepta, ex quibus apertissime eruitur nec cordis, nec sanguinis motum a nervis, et cerebro proxime oriri; cum sublata ubique eorum actione, penitusque sensilitate delecta, cor adhuc insiliat, ac sanguis per vasa in universum corpus deducatur?

Quod si quis ipsas musculares fibras nerveas esse contendat, rogo, cur aliquibus tantum fibris haec vis competit? Cur fibra, quae sensu gaudet, contractioni non obsequitur? Suas quomodo irritabilitas habet leges, suasque affectiones, quibus ab elaticitate, et sensilitate, aliisque viribus plane differt, si tum sensui, tum motui eadem caussa prospicit? Quomodo in paralysi alteruter non raro superest, et quidem diutissime; non una uterque deficit, aut perit? Quomodo Acidum vitriolicum, aut nitrosum, ac quaedam Caustica cordis, arteriarumque, et muscu-

lorum motus non illico destruunt, dum sensilitatem tam male afficiunt, ut acerrimi quasi ab igne dolores excitentur.

Istis denique si addimus, quae Venena quaedam in animalibus praestant, satis superque etiam evicta erit absoluta inter sensilitatem, atque irritabilitatem differentia. Si enim post sensilitatem Opii potentia deletam (ut iam dixi) superest irritabilitas in musculis, atque in corde diu superest; si sublata Camphora, aliisve Venenis eadem ubique sensilitate, plerumque nullo modo laesa, imo quandoque aucta insita carnibus vis irritabilis apparet, concludendum prorsus erit, utramque vim absolute differre, per se existere, atque origine, legibus, ac phaenomenis prorsus invicem discrepare.

Superest nunc, ut generalem medendi methodum expendam, quae quidem mihi pariter nec rationi consona, nec experientiae videtur. Si enim in morbis a vera, et maxima

debilitate illatis ex parvo stimulo, qui dein sensim, et sine sensu iuxta BRUNONEM augeatur, cura inchoanda esset, sequeretur necessario eo morosiorem, tardioremque in medendo Artificem esse oportere, quo propius, et maius instat discrimen, quoque minus temporis aegro subveniendi superest. Sane par ratio Medico esse non potest in ancipiti hoc rerum statu versanti, ac fuit QUINTO FABIO MAXIMO qui cunctando restituit rem. Nam cubans infirmus, priusquam ei remedium satis profuturum esset, vita decederet. Hinc vetus est adagium graviora mala validioribus remediis, atque extrema extremis raptim etiam sumptis aggredienda esse. Hac praeterea cunctatione, et lento, atque exiguo remediorum usu, natura ita eorum actioni assuescit, ut mutationis beneficium nequeat corpus sentire, ac proinde morbus, et diuturnior, et pertinacior factus maiores, postea firmioresque in dies radices figit. Hinc eve-

nit, ut, etiamsi in salutem morbus terminetur, nequeat id obtineri, nisi dupla, aut tripla data remedii dosi, quando una initio opportune propinata satis fuisset.

Sed illud rursus accidit plerumque, ut quaedam remedia minima copia exhibita plane diversos afferant effectus ab iis, quos Medicus ab eorum usu sibi, suisque aegris pollicebatur. Sunt enim non pauca, quae pro diversa doseos ratione dissimiles effectus edunt. Porro, ut mittam, utpote nimis obvia in hanc rem ex Opio, atque Hydrargyro petita exempla, nonne Alumen, quod paucorum dosi granorum alvum adstringit, ultra scriptulum datum eam resolvit, reseratque? Nonne pariter Ipecacuannae radix narium, atque uteri haemorrhagias compescit, et cohibet ad dimidium, vel unum granum pedetentim data, dum ad viginti circiter ore sumpta vomitum ciet? Sane ex eo etiam nocere solet a Brunone me-

dendi ratio proposita, quia animadversum est, inutiliter aegros commoveri, ac repetitis istis commotionibus subitae, manifestae, ac satis proficuae mutationi adducendae imparibus moleste affici, magis debilitari, atque ex maiori infirmitate, quae, docente Celso, omnibus fere morbis maxime obnoxia est, in novas aegritudines incidere.

Equidem fateor gelu occupatum hominem confestim non esse in aestuans cubiculum deferendum, multoque minus luculento igni protinus admovendum; sed primum frigido adhuc loco eum detineri oportere, ac paullatim ad eam caloris temperiem ipsum adducendum esse, quae sano cuique apta est. Quare primum frigidis balneis Septentrionales Gentes congelatis apte subveniunt, frictionibusque, quae cum nive, et glacie absolvuntur. Verum in hoc casu expedit a remedio, quod minimum caloris habet, curationem exordiri, ne

subita secus caloris maioris actione molles humani corporis partes actu adstrictae a rarescentibus intus occlusis humoribus, ac vi ignis nimium expansis illico distentae, distractaeque dissiliant, ac disrumpantur. Partes siquidem molles humani corporis distendenti caussae, quae paullatim agat, obediunt utique; atque ita quidem, ut suum lumen mirum in modum amplificent impune; quemadmodum in obesis ad ultimum Polysarchiae gradum adductis, in asciticis, atque in mulieribus, quae nono gravidatis mense latam alvum trahunt, perpetuo evenit: quae interim partes illico disrumpuntur si vis extendens valida confestim agat; quemadmodum passim accidit, quando nimio clamore, ferinae tussis impetu, aut nimio vomitionis conatu, aut alio vehementi nixu disruptiones vasorum contingunt, aut herniae erumpunt. Ob hanc proinde caussam minimum primum gradum caloris, non maximum admoven-

dum esse congelatis corporibus effectus ostendunt, qui, contrarium ubi fiat, oriuntur, quique huiusmodi sunt, ut significent subita rarescentia humorum, ac partium disruptione, harum nexum labefactari, solvi, atque ita destrui, ut vita extinguatur.

Quid enim aliud sibi volunt dolores ingentes, quos experiuntur qui incaute gelidas manus igni admovent? Quid praeceps, quae tunc sequitur, gangraena? Quid fructus autumnales, ac serotini, qui gelu correpti, si in frigidam demittantur, suas qualitates, quibus edi volupe possint, protinus recuperant; dum in calidam confestim demersi quadam gangraenae specie tentati corrumpuntur? Accidit proinde, ut non solum ad vasorum disruptionem vitandam; verum etiam ne diu vacuo ventriculo intolerabile pondus inferatur, non plenis haustibus, atque affatim, sed exiguis, ac pedetentim potum recte offeramus iis, qui ob diutinam a potu abstinentiam

siti iam prope confecti videntur.

Fateor equidem diutina oppressos inedia, qui nimirum iratum ieiunio ventrem iamdiu placare non potuerunt, eosque, qui lenta nervosa maligna febre decumbunt a cibo copiose, et semel sumpto opprimi: levari vero, ac plurimum refici eo paullatim, at saepius dato. Sed quid inde, cum in cibis illud roboret, quod nutrit; nutriat vero id, quod concoquitur, non id omne, quod ore sumptum deglutitur? In his porro aegris fractae digestionis vires vix tenui ferendo cibo, vixque aegre, ac lente concoquendo pares existunt. Unde dum ipsae vires tamdiu excludunt alimentum, quod tenue, ac concoctu facile non sit, donec recreatae, ac refectae valentius, ac copiosius possint sustinere, apteque subigere; contra requirunt tunc Roborantia quae valentissimi generis sint. Haec enim pharmaca digestionis opere, caeterisque motibus non indigent, quibus immutentur; sed per

se sua iam actione concoctrices potentias incitant, et languentes cordis arteriarum, cerebri, nervorumque operationes erigunt, quae exhaustas vires reparent, ac morbo fractas restaurent. Solent proinde Clinici omnes, dum aegris in adducto rerum statu medentur, non lauto quidem, aut saepe iterato epularum, cupediarumque missu iisdem mederi, at Roborantibus efficacioribus copiose, ac satis crebro porrectis opitulari. Quis proinde febres comitatas aggrediens earum curationem a largissima corticis Peruviani copia non illico auspicabitur? Quis rursus ubi syphilis saeviat atrociter, eius sanationem, validioribus posthabitis Mercurialibus, committet lenioribus, quae impedimento non erunt quominus aeger interea non satis adiutus arte dirissima lue conficiatur? Profecto tantum abest, ut debilitate vera urgente aggredienda curatio sit mitioribus, leviorique stimulo praeditis remediis, ut vel ipse Ill. Mosca-

tus faſſus sit in teneris Pueris, Infantibusque, caeterisque gracilioribus, Diagridium, Ialappam, aliaque Drastica ad alvum ducendam reliquis Purgantibus longe praestare; tum in iisdem frictionibus, Vino antimoniato, Tartaro emetico, aliisque acriter stimulantibus medicamentis satis copiose adhibitis convulsiones ocyus, tutiusque compesci, ac solvi.

Sed si ea ratio medendi, qua unum morborum genus hactenus propositum aggrediendum esse putat Bruno, tuta, ac rationalis non est; neque altera cuique videbitur, qua vult aliud curandum esse genus morborum, quos scilicet nimium virium robur, aut praeternaturale incrementum moveat, aut foveat. Quando enim praecipit horum curationem morborum a maioribus stimulis inchoandam esse, ac cuiuslibet stimuli nocentem effectum simili alio prius convellendum esse; praecipit sane quod rationi aperte repugnat, quodque experientiae

adversatur, quam unam oportet consulere. Rogo enim primo BRUNONIS asseclas, utrum in adducto morborum genere stimulus, vel excitamentum, quod morbum peperit, adhuc persistat, an contra? Fieri siquidem nequit, quin alterutrum verum sit. Primum profecto reponent; nam secundum si dicerent, dicerent id, quo posito, sequeretur necessario morbum non adesse. Quemadmodum enim sine caussa non datur effectus; ita pariter morbus nusquam esset sublato stimulo, in quo vere iuxta BRUNONEM omnis morbi caussa, aut ratio continetur. Si autem primum verum est, ubi novum, quaeso, addas stimulum, seu novum incitamentum; nonne novam addes morbo caussam, et vim, atque ipsa proinde salutaris Artis instrumenta in aegri detrimentum, ac perniciem traduces? Si profecto unus stimulus morbum fecit, quid duplex facturus non erit? Quid aliud hoc medendi genere mehercle aptius, ac

certius excogitari unquam posset, si Medicus morbum exasperare vellet, non lenire, aut si vellet ignem igni addere, atque Artem exercere non humane salutis praesidem, at caedem, eamque atrocissimam, nefarie molientem?

Si praeterea alio loco Bruno testatur veram debilitatem maximis Roborantibus aggressám quandoque in debilitatem oppositae naturae verti, et tunc vitam extingui; an maximis Roborantibus horum morborum curam inchoandam esse idem docebit? In peripneumonia igitur, quo ipsa purior, et gravior erit, eo validiora Excitantia omnium primo administrari debebunt, eoque magis venae sectio, quae unum huius morbi remedium sistit, proscribenda erit. Ergo ne siquis nimia vini quantitate sumpta iam ebrius, et temulentus gravi tandem nervorum resolutione correptus humi procumberet, curationis caussa, pari vini quantitate esset inprimis convellendus? Quid aliud facere posset Medi-

eus, si ipse tortoris vices gereret? Haec sane nova est medendi methodus, cui tamen nullus, qui vel perfunctorie medicinam exerceat experientia, ductus obsequi poterit. Nimis enim luculenta doctus experientia quisque evidenter assequitur his in morbis deserendam esse victus rationem paullo liberaliorem, seponendum omnimode vinum, ac Roborantia et Stimulantia angue peius refugienda; tum omne auxilium peti oportere a liberali sanguinis detractione, atque ab iis quae temperant, quaeque Debilitantia vocantur.

Nemo etiam Medicorum Brunoni assentietur docenti sub Roborantium usu Debilitantia perpetuo ita excludi, ut idem aeger utrumque remedii genus nequeat utiliter experiri. Id quidem iampridem negaverat Methodicorum facile princeps Themison, ex quo hypothesim suam magna ex parte Bruno mutuatus est. Docuerat enim vetustissimus Auctor in uno, eodemque aegro morbos oppositae na-

turae a laxo scilicet, et stricto profectos coexistere haud posse, licet tertium statum, in quo aliquid simul stricti et laxi adesset, admitteret. Profecto si aegrum abstracte contemplemur, tamquam ens simplici donatum proprietate, cui omnia sanitatis, et morbi phaenomena referantur, Brunonis opinio vera videri posset. Etenim dicam cum Scholasticis *repugnat predicare diversa de eodem secundum idem*. Verum aliter non raro evenire observamus, dum aegris medemur. Profecto non dixerim pulsum magnum simul esse in aegro et parvum, aut unum, idemque symptoma eodem tempore diversum esse. Sed dicam pulsum ob complicationem caussarum morborumque, neque ita modo plenum, aut magnum, vel modo inanem, aut parvum occurrere, ac fuisset ubi unus, ac simplex morbus, non multiplex, compositusque in eodem aegro adesset. Idem in huiusmodi casibus defendam de caeteris signis

quae inde tam varia quandoque una se offerunt, ut sibi contraria, seu, ut Therapeutae loquuntur, contraindicantia etiam appareant, atque ita sint, ut quaedam propriam exigant curandi rationem, et proprium auxilium requirant Haec enim non tam raro accidunt, ut ipse hisce annis sequutus Ill. Praeceptores in Nosocomio medicinam facientes, nimirum Frankium, Carminatum, Retiam, et Raggium, ea quandoque inspicere non potuerim. Vidi sub sanguinis sputo, et lateris dolore punctorio, qui sub tussi, et respiratione valde saeviret, aliisque verae peripneumoniae signis in Viris robustis petechias simul erupisse; tum observavi deliria in ipso etiam morbi initio, cum una magna virium prostratio, vel miasma epidemicum, vel scorbutus, vel pellagra subessent; animadverti demum pleuritides, et peripneumonias, praesertim proximo elapso anno, cum febribus, quae intermittunt, subinde complicatas, tum

alias inflammationibus istis adhuc vigentibus putridas, ac nervosas febres supervenisse. Quae quaedam omnia aperte Medicum docent in uno, eodemque aegro neque unam indicationem explendam esse, neque eiusdem generis medicamentis opus esse, at saepe natura, virtute, atque effectu dissimilibus, nec non oppositis.

Huius quidem veritatis novum attulit exemplum Baiulus qui nuperrime in Clinico valetudinario laboravit vera peripneumonia cum febre continua nervosa complicata. Huic annos triginta nato, et sanguinea corporis temperie praedito facies erat ruberrima, difficilis spiritus, aspera tussis, dolor lancinans, qui a scrubiculo cordis ad hypochondria transversim extendebatur, ac denique pulsus frequens plenus, ac durus adeo, quam qui maxime. Conspiciebantur simul peticulae, mens erat delira, ac vires pene exsolutae videbantur. Fecit Ill. Frankius cubanti medicinam cum ve-

nae sectione; qua sanguis ad octodecim uncias detractus fuit, ac postea cum cortice Peruviano, et Camphora eo eventu, ut paucis diebus post aeger sanitati restitutus domum reverteretur.

Si haec perpendissent rite, ut docebat, qui SYDENHAMIUM artis usu tam insignem Virum, ut post HIPPOCRATEM eo maior medicus habeatur nemo, ideo carpere ausi sunt, quia ad veram debilitatem podagram refferens, proindeque Roborantibus curam committens, Antiphlogistica remedia, ac Deplentia Chirurgica aliquando usurparet, aliter sensissent, neque tanto Viro laudem, quae tamen emori non potest, detrahere tentassent. Ideo enim quoties pulmones, aliasque partes vitales in podagricis inflammatione tentari videbat; toties eis occurrebat remediis, quae inflammatio indicat, et requirit, quia noverat hisce neglectis, aegros mortem occumbere. Ac re quidem vera nemo,

nisi in medicina facienda infantissimus adhuc sit, denegare audebit podagrae insultus non raro verae inflammationis tam esse participes, ut nisi generales, aut partiales fiant sanguinis detractiones, atque Antiphlogistica largiter praebeantur remedia, neque compesci, et discuti dolores possint, nec pessima mala praecaveri. Similium memini observationum, quas in hanc rem disserens de sanguinis missionis utilitate in variis morborum generibus attulit in suis Praelectionibus Ill. Carminatus, ac speciatim cuiusdam Viri mediae aetatis podagra haereditaria dirissima saepe tentati, in quo podagrae reditum avertebat perpetuo, cum instare videbatur, instituta sanguinis detractio; tum ob hanc omissam artus iam occupantem, ac saevientem celerrime discutiebat eadem missio ex hirudinibus circa locum doloris applicatis. Nec dissimilia vel in libris Medicorum narrantur, vel a Clinicis tradi solent. Nonne caeterum apud

nos podagra non raro eos invadit, qui corporis robore praestant, aut qui voracissimi tam uberi nutritione refectas partes omnes exhibent, ut nullibi debilitas praesto esse videatur? Nonne multi ab iis, quae maxime stimulant, abstinentia, atque a vini consuetudine quae coeperat, relicta, iisque usurpatis quae temperant, et demulcent a podagra incolumes feliciter fiunt? Quid plura si in eadem podagra ad eius inhibendos reditus nullum remedium apud nos hactenus maiorem famam sit aequiori iure consequutum illo, quod summus Vir Excellentiss. Comes, et Praeses Carlius invenit, quodque Lini vsitatissimi semina praestant, quae praeter vim emolliendi nullam aliam possidere videntur, aut saltem stimulantem, roborentemque nullam habent

In Chlorosi praeterea, in Hydropisi, atque in Scorbuto, qui morbi generatim Debilitantia excludunt, ac Stimulantia requirunt, quoties sanguinis missioni locus non est, ne

secus neglecta nulla fieri queat rite curatio? Quoties ob epidemicarum constitutionum genium Cynanche inflammatoria, et febris nervosa una concurrunt, sic, ut duplex curationis genus requirant? Casus denique incidere, in quibus Roborantia, et Debilitantia uni aegro debeant exhiberi, quando syntoma morbi morbo ipso plus urget, nemo est, qui inficias iverit. Si quae chlorosi laborans femina devium ex consueto loco menstruum sanguinem e pulmonibus largiter effunderet, quisnam in usu eorum persisteret, quae excitant, ac roborent, donec misera purpuream animam evomeret? Quis sanguinis missionem negligeret, ubi ingens in hystericis spastica affectio inflammationem minitaretur?

Neque in caeteris etiam casibus Brunoni dandum est symptomatis respiciendum non esse dum curatio fit, quia morbo solummodo praestat respicere. Catheter quidem vesicae pa-

ralysim non tollit; nihilominus quis non eo urinam extrahet, quae vesicam nimis distendat? Ulcerati cancri curatio vim Artis superat, et tamen quis diros compescere dolores, atque haemorrhagias avertere, vel natas cohibere Opio adhibito non contendet? Quis proprio fato miseros derelinquet? Cur ego prohibear ab usu Magnesiae calcinatae, vel Alcali caustici, ubi iam acida in primis viis subsint, et plurimus aer evolvatur? Cur mihi non liceat sub frigore intensiori febris intermittentis ea, vel ore propinanda, in auxilium vocare, quae ipsum moderentur, vel ei etiam calidis rebus impositis occurrere? Cur evoluto iam calore aestuanti aegro, Temperantia propinare mihi non expediet? Nil spernendum, nil deserendum est, quod vel minimum aegris queat solamen afferre.

Nullo denique modo subscribere possum Brunoni reputanti frigus debilitans esse, quemadmodum arcte te-

net, acriterque defendit contra omnium Medicorum auctoritatem, qui frigus excitare, stimulare, ac roborare docuerunt, suffulti non minus ratione, quam experientia. Haec siquidem dum nimis saepe ostendit eos, qui aestuante corpore frigidissimam affatim aquam hauserunt, vehementissima orta ventriculi inflammatione, brevi occubuisse, ostendit etiam ipsum frigus maxime incitare, ita ut virium excessu lethalis inflammatio nata fuerit. An istorum sitis potu frigido, ut Bruno tuetur, extincta fuit? Equidem: nam dempta vita nulla sitis superest. Iamdiu sane noverant Medici adversus debilitatem frigus ita valere, ac multis morbis a defectu stimuli, et roboris insigni remedio, praesentiſſimoque eſſe, ut ab Hippocrate ductam hisce affectibus rationem medendi cum frigidissimis rebus ore sumptis, aut exterius impositis, et Neapoli crebro adhibitam Cl. Rastius in Anglia, Ill. Tissotius in Helvetia, atque apud

nos Praestantissimi Praeceptores Carminatus et Frankius feliciter restituerint. Siquidem in epidemicis praesertim constitutionibus, quando ex nervosa, putridave febri ob summam debilitatem, ac laxitatem convulsiones, virium prostratio, tympaniticus tumor, meteorismus, ac pertinax alvi obstructio, aliaque aegrorum res ad extrema iam deduxerant, nunc frigido, glaciato potu interius propinato, nunc saepius frigido partiali balneo, aut glacie imposita ab exitio aegros vindicarunt, refectis protinus viribus, ac mirifice sublatis incommodis, quae summa debilitas attulerat. Quas quidem observationes non ipse adducam cum iam partim editae, partim iam plurimis compertae sint.

Si frigus rursus debilitat, cur oppositum remedii genus, nempe calor tam bene conducit in morbis a nimio robore pendendibus? Id quidem commodum insigne ex calido balneo anteactis annis in Rheumaticis inflam-

matoriis affectibus obſervavi in Noſocomio, tum nuper in ipſa inteſtinorum inflammatione vidi in Clinico valetudinario. Aeger agreſtis in eodem degebat mediae aetatis, eximii roboris, cui abdomen acute dolebat, ac circa umbilicum fere intorquebatur, cuique alvus erat occluſa, dum interea vomitus aſſidue saeviebat, et pulſus duri, ac contracti frequenter admodum micabant; praeſtitum nihilominus ei saepius balneum tantum profuit, quantum fuit ſatis, ut imminuto prius dolore, dein ſublato, atque alvo ſoluta, vita in tuto eſſet, ac ſecunda valetudo confeſtim rediret.

Si praeterea frigus ſtimulans non eſt, cur hyeme ſaeviente inflammatorii morbi crebrius occurrunt, ac ſaeviunt atrocius? Cur initio menſis Aprilis praeſentis anni frigido denuo flante vento aegris peripneumonia occupatis Noſocomium obſidebatur quibus antea, temperato, et tepido potius aere ſpirante, prorſus caruerat?

Cur ipsae, quae inde sequebantur, Dysenteriae inflammatoriam indolem tantam protulere, ut sine iteratis venae sectionibus sanari non possent? Cur Rachitis, Scropulae, Chlorosis, aliaeque aegritudines, quae ex vera debilitate nascuntur, sub calido coelo, quam frigido crebriores sunt? Cur frigori cedunt? Cur Catarrhales affectus, quorum caussa debilitas est, mora in aere calido, et calidarum potionum usu pertinaciores, diuturnioresque fiunt; contra vero levi negotio levantur, et discutiuntur rerum contrariam vim habentium provido usu? Cur Alpicolae, aliaeque Gentes frigidarum regionum incolae iis, qui humilioribus, et calidis in locis vivunt, robustiores, firmioresque sunt, imo inter eos, longe reliquis praestant, qui non domi manent, sedentque ad focum; at qui sub dio magnam diei, ac vitae suae partem traducunt?

Neque quis, ut evertat vim argumenti, quod ex communi, et nota

caloris actione desumebam, ut frigoris opposita facultas elucesceret, debilitantem caloris actionem solae tribuat inanitioni humorum, quam calor aucta cutis exspiratione usque ad sudorem praestet. Nam si calor debilitat aliquo certe modo debilitet necesse est; modum autem assignare, quo id praestat, debilitantem ipsius actionem confirmat, non destruit. Quamquam non crediderim ex adaucta exspiratione plurimum lassitudinis inde oriri posse. Unius enim excretionis incrementum, reliquarum imminutio, et defectus rependunt. Rectius proinde ex modo, quo calor agit, huius debilitans vis potissimum derivatur. Cum enim calor corpora caetera dilatet, ac relaxet, ac fluida rarefaciat, atque expandat, non dissimili modo videtur Animalium fibras, humoresque afficere. Ingentes illi, profusique sudores, quos passi sunt, cui conclavia ope hypocausti ad aquae fere ebullientis temperiem calefacta ingressi

sunt, non aliunde repeti possunt, quam a subita rarescentia humorum, atque expansione, et relaxatione partium solidarum. Quomodo, revera, evenire unquam posset, ut ab axillis, aliisque partibus, e quibus tenuissimus tantum halitus, forma vaporis emanat, uberrimus sudor, atque interdum ipse sanguis erumperet, nisi vasorum lumine adaucto, nisi laxatis vasis? Quid porro aliud est laxare antea non rigida, et quidem magnopere laxare vasa, quam debilia reddere? Quidque aliud frigoris stimulo iam firmas partes adstringere, quam roborare? Quomodo profusi sudores frigido vento reprimuntur, nisi imminuto vasorum lumine, quo fit, ut exhalantia vasa parum exscernant, multum vero resorbentia hauriant, quorum vis eo maior fit, quo eorum hiatus minor evadit?

Porro si frigus non adstringeret fibras animales, et roboraret, universa corporis superficies, ubi illi haec pateat,

intumescere deberet, ac rubore suffundi; quoniam humores eo lubentius, et plenius affluunt, quo minorem resistentiam inveniunt; quemadmodum saepe experimur. Ex qua quidem lege evenit, ut tumor oedematosus in inferioribus eorum artubus incipiat, qui postea ex aqua inter cutim universam effusa, ac stagnante laborant Sed aliud est quod ex frigore summae cuti accidit. Ea enim pallet, contrahitur, atque ita rigescit, ut anuli iam ex digitis concidant, arcta prius indumenta laxa fiunt, ac facies collabatur: quae omnia significant frigus ex ambitu corporis ad interiora humores repellere, ac cogere, sicuti crurum tumores fasciae iisdem superdatae repellendo dissipant, aut etiam universo corpori arcte circumvolutae Leucophlegmatiam interdum discutiunt: quemadmodum Clinici non raro observarunt, atque in Puella aqua inter cutim laborante nunquam interiturae memoriae Swietenius praestitit.

Neque quidquam BRUNONIANIS favet quod interdum animadversum est, in ipsis scilicet inflammationibus frigus quandoque prodesse. Valet quippe in his tantum, quae spuriae, aut chronicam naturam adeptae cum debilitate occurrunt, in quibus Adstringentia, et Roborantia convenire quid mirum? Quod si in vera inflammatione a BELLIO, SCHMUCHERO, alisque interdum probari frigus externum videamus; non ideo quod natura sua debilitet, probari videmus, sed quod roboratis partibus, atque adstrictis, liceat quibusdam in casibus ex eo sperare, ut minor copia humorum vasa subeat, tum haec tanto roboris assumpto, quantum velocitatis humores acceperunt, queant eadem vi fluidis reniti, qua haec agunt in vasa. Et re quidem vera, ubi vasa iam nimium distracta fuerint, effususque in cellulosam telam haereat sanguis, ac spasmus accesserit, frigus non modo supervacaneum, atque alie-

num ; sed noxium prorsus erit. Eius quippe actione tunc impeditur humorum absorptio, et circulatio, et gangraena facillime insequitur; quemadmodum norunt Chirurgi, qui in hoc rerum statu, seu in hoc inflammationis stadio, dum lenia, tepida, atque emollientia tumori inflammatorio imponunt; contra frigida, reprimentia, atque adstringentia prorsus reiiciunt. Quae quidem ita sunt nostra aetate cunctis, qui manu medentur comperta post ea, quae ad obscurum, ac difficilem eiusmodi Chirurgiae locum illustrandum in medium attulerunt duo Viri nominis celebritate, atque artis usu insignes Ill. Eques Brambilla, et Richterus, ille de Phlegmonis curatione disserens, hic de recto agens Antiphlogisticorum usu, ut iis aliquid addere non liceat.

Iam vero si haec omnia non minus ab experientia, quam a ratione petita arguunt evidenter frigoris actionem non debilitantem, atque adi-

mentem stimulos, at roborantem valde, et stimulantem esse, supervacaneum videri poterit luculentissimum, quod ad id demonstrandum adhuc superest, argumentum in medium afferre, nisi rationi apprime consentaneum, ideo non praetereundum censerem, ut ostendam quam male Bruno reputans caussas, quae corpus humanum ad agendum determinant, atque insitas corpori viventi proprietates expendens neglexerit alias, quae nullo modo excludi possunt, postquam eas excludere noluit natura, quando tam miram humani corporis fabricationem mollita cst. Cum enim ea sit actio frigoris in caetera corpora, ut quamquam propria, et sibi insita, atque absoluta vi non operetur, dum calorem tamen detrahit, ita eadem afficit, quemadmodum sapienter observat Ill. Volta, ut occasionem praebeat, et motum imprimat affinitati, quae antea caloris potentia impediebatur quominus agere posset, suos-

que effectus edere, qui, ut notum est, pendent ab aucto particularum contactu, et maiori vinculo cohaesionis. Hinc debet necessario evenire, ut corpus humanum eiusdem affinitatis vim debeat ex frigore experiri non solum ex eo, quod incitabilitas ipsa, utut ab affinitate distincta, huius rationem sequatur, verum etiam ideo, quod humanum corpus vitalibus licet donatum viribus habeat quoque proprietates caeteras, quae cunctis corporibus sunt communes. Quod quidem attingebam, ut innotesceret eo etiam vitio laborare Brunonianam hypothesim, quod nihili habeat istas proprietates. Licet enim actiones gravitatis, attractionis, elasticitatis, cohaesionis, atque affinitatis, ab irritabilitate, ac sensilitate moderari possint, ac revera moderentur, quis eas nihili habebit in assignandis caussis, explicandisque effectibus, tum vitae, tum sive secundae, sive adversae valetudinis? Quis eas

prorsus contemnet in caussarum, quae remedia ad agendum determinant, investigatione cum ipsis pharmacis singulae eiusmodi proprietates totidem praestent actionis principia, eaque satis manifesta, et valida? Harum sane omnium caussarum in humanum corpus imperium sive negligere, sive negare hominis esset, qui humani corporis fabricam, naturam, vires, affectiones, actiones, phaenomena, et leges nunquam sit vel leviter scrutatus.

Quare cuique ex omnium Brunonianae hypothesis principiorum consideratione licet inferre, eam ita lubricis fundamentis innixam esse, ut stare ea nunquam possit, ac proinde mihi vanum videri debeat, demonstrata eiusdem hypothesis incertitudine, et falsitate, descendere ad refellendas eas opiniones, quae ab instabili principio deductae singulares morborum curationes respiciunt. Porro hoc loco non ita mihi sumpsi per singula Ca-

pita refellendam Brunonis theoriam ut a me proferenda nunc sint, quae circa duplicem divisionem, qua omnes morbos complexus est, ac circa eorum caussas, et curationes ab eo singillatim propositas paratissima caeterum haberem. De his quippe alia occasione fortasse disseram, si id tamen frugiferum futurum cognovero. Quisnam enim non facile iam assequitur ad duo summa Capita omnes morbos, quibus humanum corpus obnoxium est, revocari non posse, ut Bruno contendit, dum alios, quos *Sthenicos* dicit, a nimia solidarum partium vi, aut rigiditate oriri, alios, quos *Sthenicos* vocat, ab earum nimia debilitate, aut laxitate proficisci affirmat? Quis ei dabit nullam affectionem communem in parte consistere, sed totum corpus occupare, aut partis *magis laborantis affectum*, ut eius verbis loquar, neque primum unquam esse, neque dein per reliquum corpus deduci, sed *perpetuo*

ubique corpus affici? Quisnam in peripneumonia *spiritum difficilem nulla pulmonum, seu spirandi instrumenti culpa fieri* dixerit? Cur dolor, qui in pulmonum inflammatione se exerat, ac praesertim acutus, et lancinans, *pro molestia potius habendus* erit, quam vehementioris, aut recrudescentis morbi indicium?

Profecto si haec concedi Brunoni non possunt, neque ei quisque dabit vel leviter in medicina facienda versatus exanthematicos morbos ab aliis sthenicis *nulla cuiusvis momenti re* differre, ac materiem contagis, e qua erumpunt Variolae *sine ulla firmorum, aut humorum mutatione manifesta fermentescere*, atque earum successiones, mutationesque *una lege fermentationis* regi. Nemo pariter eidem Auctori concedet in rheumatismo *frigus, hic adstringendo, ut vulgo creditur*, non nocere. Nemo rursus Brunoni assentietur catarrhum a solo calore, cibo pleniore, potione

meraciori, ac modica exercitatione *pro certo excitari*, ipsumque *certo atque efficaciter frigus*, *frigida potui data*, *parcioremque cibum et quietem solvere*, tum *a solo frigore calore solvendum gravissimum errorem esse derivare*, ac contra *frigus nunquam nocere*, *nisi ubi eius actionem calor excipit*. Sunt enim tam obvia, tam que multa huic sententiae contraria, ut eiusdem ostendere falsitatem supervacaneum plane sit. Si unum enim, quem alibi adduxi, casum excipimus, in reliquis catharrum a frigore plurimum pendere, exasperari, et contrariis, ac tepido humidoque calore discuti notissimum est.

Mirabitur profecto quisque Clinicorum tantum frigori tribuisse Brunonem, *quod semper*, *et proprio opere*, ut vidimus, debilitare iudicavit, ut fidentissime tradere potuerit *solum* variolis mederi, *optimum* in catarrho, in summae diatheseos Sthenicae morbis *summopere frugife-*

rum, omnibus demum morbis sthenicis *unum ad salutem* satis esse. Quoties enim in hisce aegritudinibus frigus, nec quidem magnum, non extitit infensum? In Variolis ipsis, in quibus temperatus quidem, et subfrigidus aer prodest, frigidus tamen non confert, eumque sedulo vitari oportere, ne curatio praevertatur, et gravia mala accedant, suffultus observationibus Vir summus, verique studiosissimus BURSERIUS satis, superque constituit.

Sed est adhuc quod in Brunoniana medendi methodo nescio utrum mirandum, an improbandum magis sit. In Scabie siquidem perspirationi stimulis consulere, ac summam cutim frigida aqua eluere, atque indusiorum, et vestium munditiei prospicere satis non est; cum oporteat omnino externis remediis, quae exedentia animalcula certo perimant, atque ulcuscula abstergant, atque impleant, curationem committere. Neque Rachitis a frigore *tam sicco, quam humi-*

do, et *minus alente victu* potiſſimum pendet; quoniam ſaepe videmus Pueros divitum, quibus alimenta optimo, ac copioſo ſucco plena non deſunt, ac cura omnis adhibetur, ne frigus unquam ſentiant, rachiticos prae ceteris fieri, eosque *non ablutione tantum corporis*, *perſpiratione*, *et caloris ſtimulo*, ut Bruno praecipit, praeſertim ſanari, at frigido admodum balneo, frigidi aeris uſu, Roborantibusque potiſſimum medicamentis ſaluti reſtitui.

Nimius porro eſſem ſi vel monendo attingerem quae de profluvii, aut de aegritudinibus, quae in abdomine ſuam habent ſedem, animadvertenda eſſent, aut poſſent proferri ad demonſtrandum nimis levia, ac manca non raro eſſe quae de morborum diagnoſi attulit. Profecto, ut unum tantum afferam, vermium ſigna recenſens, niſi poſtremo addidiſſet eos *per alvum deiectione* cognoſci, ſufficere nemo crederet quae praemiſerat, nimirum cognoſci *columnae*

nasi turgore, *crassitie*, *carpendi nares more*, *vultu decolore*, *huius*, *et reliquae cutis pallore*, *et abdominis tumore*.

Praeterire tamen non possum quod Scorbuti curationem respicit, ut videant, qui nudequaque Brunonem probare solent, ne cum eo etiam in gravissima re turpiter hallucinentur, ac scorbutica lue infectos aliquando curaturi eos perdant, quos alia usi medendi ratione sanare potuissent. Porro ad carnium esum, vinum, gestationem, exercitationem, et solitum vivendi genus omnem transferens curationem, *olèra*, *brasicam acescentem*, atque alia similia, omnium scilicet praestantiora, usitatioraque remedia, ut vana, atque, *ad malum exasperandum idonea*, imo *ex falsis deducta*, *atque temere iactata* auxilia e methodo medendi prorsus sustùlit. Ergone Stirpes siliquosae, atque Acida vegetabilia, ac speciatim e Malis Aurantii, et Citri petita, aliena erunt,

imo nocebunt, quibus, prout novissima experimenta ubique locorum optimo sane, constantique eventu instituta monstrarunt, nihil hactenus extitit ad Scorbutum sive arcendum, sive curandum, tutius promptius, et certius auxilium? Tantum ne Brunonis animo praeiudicata opinio? Contradicendi, vel innovandi libido num eum ita invasit, ut sequeretur interdum id, quod non modo ineptientis hominis esset, sed etiam veritati contumaciter reluctantis?

Nonne revera est resistere veritati Podagram haereditariam *fabulam* putare, eiusque doctrinae fundamentum nihili habere, *cibo lauto* ex carnibus, atque esculentis vegetabilibus *reiectis*, *vel parcissime admissis*, potu valido, ac rerum omnium usu, quae copiam multam sanguinis faciant, iis subvenire, qui validiores podagra tentantur, ac proinde ipsis non *antisthenicam*, ut hactenus fieri consuevit, sed *sthenicam* curationem

admovere? Nonne est pariter veritati temere reluctari tradere hydropisim *a locali adfectu* nunquam proficisci, ac perpetuo *in pura debilitate ponere*, atque in omni casu victum *quam maxime alentem*, *quam maxime stimulantem* opportunum iudicare, omnes eiusdem morbi *distinctiones hactenus receptas inanes* dicere, et nunquam sanguinis detractionem admittere, sine qua cum recto Antiphlogisticorum usu coniuncta, et largo quidem potu, acutum hydropem discuti non posse experientia iamdiu luculenter evicit?

Neque in reliquarum aegritudinum curatione minus improbanda Bruno protulit. Quando siquidem in Epilepsia docet *vasa cibo quam alentissimo*, et *ad sanguinem creandum potentissimo replenda esse*, ac *victu quam stimulantissimo* utendum praecipit, curationem asthenicam *infelicitatis*, et *perpetui damni* arguit, atque a vino, a Cortice Peruviano, at-

que a diffusilibus stimulis, *accessionum lenimen* pollicetur; tot profert, quot sedulo esse vitanda iussit Ill. Tisso-tus in aureo eius de Epilepsia tra-ctatu, ne gravior, ac lethalis morbus evadat. Quando item in Apoplexiae curatione Antiphlogistica *velut exitio futura* vitanda esse constituit, ac *plethoram*, quam *nusquam esse* defendit, ab eiusdem caussis prorsus excludit; tentat profecto id constituere, quod rationi, atque experientiae prorsus repugnat. Quando praeterea docet et ubique, et perpetuo tetanum tam asthenicum morbum esse, ut *ad stimulos potentissimos protinus*, et *quantum maxime diffusibiles*, *nulla copiae ratione habita*, confugiendum sit; docet quidem, quod Clinicorum observationi non raro adversatur, qui tetani antiphlogisticis, tepidis balneis, atque iteratis sanguinis detractionibus feliciter soluti, ac contraria curationis methodo in perniciem deducti interdum me

minerunt. Quando denique, ut caetera mittam, in febribus intermittentibus asserit omne purgationis genus *haud ambiguae noxae esse*, et sanguinis missionem vix *quemquam sanum tentare*; asserit quod notissimo harum febrium genio saepe repugnat, quoniam quaedam sine purgatione, sive per os, sive per alvum moliatur, quaedam sine sanguinis missione cum Antiphlogisticis coniuncta sanari non possunt, imo alterutro tantum auxilio submoventur.

Quare dum rem totam concludo, iam mihi fore confido, ut, hisce non minus perspectis animadversionibus; quam reliquis, quae cuique se offerent eandem hypothesim expendenti, desinant tandem eam tanti habere, qui in Brunonis verbis iurare gloriantur. Praesertim cum sciverint, quod nuper accepimus, non modo in Anglia universa opinionem eiusdem floccifieri, verum etiam eo loco traditam oblivioni iam esse,

quo diem viderat. Quod quidem si fuero laboris praemium consecutus, ideo magnum mihi consecutus videbor, revocatis hoc modo ad meliorem frugem eorum ingeniis, qui fervidae imaginationi indulgentes nimis, nescii quasi in eo, quod susceperunt, difficillimo Medicinae ediscendae itinere a recto tramite deflectentes, ab iis suorum Institutorum vestigiis recessere, quibus insistere tutissimum est.